ratione consummationis, sed ex solo ipso matrim. contractu oriri: ac subinde publica honestas, ad quam ea potestas extenditur, non est alia, quam, ea, quæ ex matr. rato oritur. Quæ autem nascitur ex sponsalibus est gradus quidam minor ejusdem speciei publicæ honestatis, inclusus sane in orta ex matr.

42 Utrum autem in dispensationis impetratione sit facienda mentio copulæ incestuosæ, & matr. irriti, ac spei facilius obtinendæ dispensationis, tractabitur tota disputatione sequenti.

43 Ad arg. n. 36. proposita resp. Ad I. negatur intelligi de copula licita. Nec obstat non esse præsumendum delictum. Non enim innititur hæc intelligentia præsumptioni delicti, sed strictæ dispensationis intelligentiæ, petenti verba intelligi de minori significato (ut n. 37. probavi) Nec etiam obstat *cap. penul. de sent. excomm.* Id enim quasi quid speciale decrevit Pontif. quasi secluso eo decreto de minori veniret ea pœna intelligenda. Idque statuit ut sententia judicis timeretur. Ad 2. dic, quando dispensatio est in re, de qua est decretum aliquod juris communis, ea verba juxta id decretum intelligenda esse. At ubi nullum est decretum de ea re in jure communi, non sunt intelligenda nisi stricte. Quia jus commune tanquam jus universale, & favorabile est extendendum, adeo ut ipsam quoque dispensationem in eo jure contentam extendi faciat (ut dixi disp. I. n. 7.) At dispensatio privata tanquam jus privatum est stricte interpretanda.

DISPUTATIO XXV.

An in dispensatione matr. inter consanguineos, vel affines, & generaliter inter eos inter quos est impedimentum dirimens, sit copulæ inter eos habitæ mentio facienda?

SUMMARIUM.

Triplici tempore potest intervenire hæc copula, n. 1.
Triplici tempore potest ea copula haberi. 2.
Quot quæstiones disputantur, 3.
An cum copula contingit ex humana fragilitate, postquam jam Ordinarius expedivit dispensationem, reddatur ea subreptitia, 4.
Quid, quando Pontifex dispensavit, dummodo copula non præcesserit, 5.
Quid quando contingit, ante dispensationem a Pontifice expeditam, vel post, antequam Ordinarius dispensaret, nec ejus est facta mentio. Refertur duplex sententia, n. 6. & 7.
Proponitur sententia Authoris, 8.
An dum petitur dispensatio inter cognatos spirituales, vel habentes aliud impedimentum dirimens præter consanguinitatem, vel affinitatem, sit ea copula explicanda, 9.
An sit explicanda quando non emisit vir semen aut fuit incestuosa ex parte solius alterius contrahentis, altero ignorante consanguinitatem, 10.
An si ea copula sit occulta, sit manifestanda Pontifici, an sufficiat pœnitentiario, vel Episcopo, & possit pœnitentiarius petere compositionem. Et an si contingat incestus post dispensationem expeditam ab ipso Pont. antequam Ordinarius dispenset, sit iterum adeundus Pontifex, 11.
Quando Pontifex dispensat sub conditione: dummodo copula non intervenerit, qualiter intelligatur ea conditio, 12.
An judex Ecclesiasticus juste interroget hos volentes contrahere, an copulam habuerint, quando vel ipsi nauantur non habitam, vel dispensat Pontifex sub conditione, ut non sit habita, 13.
Quid, si sub ea conditione non sit concessa dispensatio. Refertur opinio, 14.
Proponitur sententia Authoris, 15.
An teneantur contrahentes fateri copulam, quando est occulta, ac impetrarunt, aut impetrare volunt dispensationem pro foro conscientiæ, 16.
Proponitur clausula apponi solita in dispensationibus dummodo mulier rapta non fuerit, & si scienter separetur, & explicatur, 17.
An intelligatur de quocumque raptu: vel si femina rapiat virum, vel si contingat post dispensationem expeditam a Pontifice, vel Ordinario, 18.
An ea clausula non apposita, sit subreptitia dispensatio, quando adfuit raptus, nec is exprimitur: & an clausulæ solitæ apponi censeantur appositæ, etsi non exprimantur, 19.
Satisfit argumentis, 20.
Post n. 20. invenies alia summaria.

1 PRimo præmittendum est, copulam hanc triplici tempore posse intervenire. I. est, antequam Pontifex dispensationem concedat. II. post concessionem Papæ, antequam Ordinarius cognita precum veritate, illam expediat. III. post Ordinarii expeditionem.

2 Secundo præmitto posse copulam hanc tripliciter haberi. 1. ex fragilitate humana, absque tractatu aliquo matrim. 2. præcedente tractatu matrim. sed absque fse facilioris dispensationis. 3. in utrovis eventu cum spe facilius impetrandæ dispensationis.

3 Triplex ergo quæst. in hac disp. est discutienda. I. quando sola copula incestuosa intervenit ex humana fragilitate. II. quando tractatus, vel spes matr. III. quando habita est spe facilioris dispensationis.

Quæstio I. An in dispensatione matr. inter consanguineos, 4
vel affines, sit necessario facienda mentio copulæ incestuosæ inter eos habitæ ex humana fragilitate, & non cum spe facilioris dispensationis, nec cum matr. tractatu? Constat non esse hujus copulæ necessariam mentionem, quando ea contingit post concessam dispensationem a Pontifice, vel Pœnitentiario, & expeditam cognita precum veritate ab Ordinario, vel Confessore: atque ita non vitiari præcedentem dispensationem. Tum quod ea copula labe incestus vacet (ut probavimus l. præc. disp. 5. n. 15. & 19.) Tum etiam quia nil in dispensatione tacitum est, quod explicandum necessario foret. Cum ea copula post dispensationem omnino consummatam contigerit. Et hic tanquam certum sustinent *Cordub. sum. q. 45. fi. Gutt. q. canon. l. 1. c. 15. n. 24. Man. 1. tom. sum. in 2. edit. c. 238. n. 7. initio. Vega 2. t. sum. c. 34. casu 98.* Qui bene discedit a Manuele dicente in hoc eventu petendam esse ab Episcopo dispensationem incestus commissi, ut licite ineatur matr. Quippe nulla est incestus culpa (ut proxime dixi) & ideo non est opus dispensatione.

Imo idem dicendum credo, quamvis dispensatio a Ponti- 5
fice, sub ea conditione sit concessa, ut copula non intervenerit. Quia satis ei conditioni paritum censeo, cum ante dispensationis consummationem copula non adfuerit. Nam ea postea contingens, vires dispensationis omnino consummatæ enervare nequit.

Tota autem difficultas eo pertinet, quando ea copula habita 6
est inter consanguineos, vel affines ante dispensationem a Papa concessam vel post, prius tamen, quam Ordinarius illam expediat, vel Confessarius, quando dispensatio est in foro conscientiæ ipsi commissa. Triplex est sent. I. docet non esse necessariam ejus copulæ mentionem. Ducitur 1. quod ea copula nec ex natura rei, nec ex jure Ecclesiastico reddat dispensationem difficiliorem. Non ex natura rei, quia potius faciliorem reddit, ob feminæ infamiam, ineptitudinem ad aliud matr. & scandala, quæ inde oriri solent. Non etiam ex jure Ecclesiastico: quia verior opinio habet ex incestu cum consanguineis nullum matr. impedimentum consurgere (ut probavi l. præc. disp. 15. n. 16.) Incestus autem cum affinibus quamvis id impedimentum præsttet, est tamen id contraria consuetudine ablatum: nec ulla eget dispensatione (ut probavi l. præc. disp. 17. n. 9.) Non est ergo cur prædicta dispensatio tacito eo incestu subreptitia sit. 2. quia esto esset impedimentum, subest Episcopi dispensationi (ut probavi ead. disp. 17. a n. 10.) Potest ergo a Pontifice peti dispensatio in consanguinitate, vel affinitate, quæ ipsius est, & alia ab Episcopo in incestu: ac neutra subreptione notabitur. Demum, quia si copula occulta sit, atque in litteris dispensationis in foro externo obtinendæ explicetur, cum nomina contrahentium debeant in ea manifestari, famæ femina jacturam patietur, detecto ejus crimine occulto. Atque periculum imminebit, ut contrahentes ad forum judicis sæcularis deferantur, penique incestus plectantur. Quod piam matrem Ecclesiam nolle credendum est. Et ideo hanc sent. sustinet *Nav.* loquens de incestu cum consanguineis vel affinibus, *l. 4. cons. in 1. edit. t. de consang. toto cons. 1. & toto consil. 5. & t. de sponf. toto cons. 2. & in 2. edit. eod. t. de consang. toto consil. 8. 9. 10. & 11.* Et melius *in 1. edit. eod. t. de consang. cons. 2. n. 1.* ubi indistincte loquitur non explicans, an is incestus admissus sit antequam Pontifex dispenset, vel post, ante Ordinarii expeditionem: & explicat quamvis incestus sit publicus. Quod idem, etsi incestus publicus sit, & loquens de incestu cum consanguineis, vel affinibus, tenet *idem Nav. eod. t. de consang. in 1. edit. cons. toto 5.* & maxime *n. 4. in 2. toto cons. 8.* & maxime *n. 4.* Idem tenent loquentes de incestu cum consanguineis, *Ovand. 4. d. 41. disp. un. immediate ante propos. 12. Salzedo in pract. Bernard. Diaz. c. 126. col. 17. in nova edit. vers. Unde merito Emmanuel Sa sum. v. Matr.* ubi de impediment. *nu. 4. fin.* Sed hi duo ultimi loquuntur quando copula est occulta. At *idem Emm. Sa v. Dispensatio, n. 10.* generalius loquitur, indistincte dicens valere dispensationem super cognatione tacito incestu, Idem tenent loquentes de incestu cum consanguineis, vel affinibus, & explicantes, sive ante, sive post dispensationem a Pontifice concessam accidat incestus, duo Theologi insignes, quos tacito nomine refert *Guttier. q. can. l. 1. c. 15. nu. 11.* dicens sibi renunciatum esse in una causa his pronunciatum fuisse juxta hanc sententiam. Idem tenent alii multi viri gravissimi de hoc consulti, ut refert eos frequens *Enriqu. lib. 12. de matr. cap. 2. n. 4. 5. & 6.* quamvis limitate loquatur, nempe quando incestus est occultus. Idem tenet absque hac limitatione loquens de incestu cum propriis consanguineis, & explicans utrovis tempore contingat, *Zavallos q. pract. quæstione 737. a n. 7.* Idem sentiunt loquentes de incestu cum consanguineis, vel affinibus, *Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 238. n. 5. Vega 2. to. sum. c. 34. casu 97. vers. Nota porque viene.* Discordant aliqui ex Doctoribus hujus sententiæ, nam quidam dicunt hanc dispensationem, in qua tacitus est incestus, validam esse in foro conscientiæ, at in foro externo minime admittendam, propter stylum Curiæ habentem, ut is incestus explicetur: quia falsæ præsumptioni innititur: & ideo in solo foro externo vim habet. Sic *Enriquez proxime allegat.* At *Zavallos de quæst. 737. n. 6.* ait non esse integrum Ordinario denegare hanc dispensationem, quamvis ei per legitima testimonia, ac partis confessionem constat de incestu. Et hæc sentent. est probabilis propter tot authorum testimonium. Et illa retenta plus placet hujusmodi dispensationem nullatenus esse in foro externo admittendam.

7 II. Sent. sic distinguit. Si ea copula accidat ante concessam a Pontifice dispensationem, reddet eam subreptitiam illius taciturnitas. Secus si post, quamvis Ordinarius eam non expedierit. Ducitur, quod in priori casu dispensatio non sit concessa: secus in posteriori, in quo sola Ordinarii executio cognita precum veritate desideratur. Et preces veræ sunt: cum nil falsum in eis Pontifici dispensanti propositum sit: nec tacitum aliquid necessario explicandum. Nam copula illa, necessario, exprimenda non erat tunc habita. Et ideo hujus sent. videtur *Cordubа* loquens de incestu inter consanguineos, *in sum. q. 45. opin. 2. punct. 5.* Ait enim valere dispensationem, quando post Pontificis concessionem copula contingit: & ita videtur contrarium sentire quando ante illam accidit. Et partim tenet hanc sent. *Lud. Lop. 1. par. instruct. c. 296. a col. 11. vers. Igitur pro resolut. usque ad col. 17. vers. Præterea*, circa redditionem debiti, ait enim incestum inter consanguineos quocumque tempore admissum non esse necessario exprimendum: quod is non sit matr. impedimentum: at incestum inter affines, eo quod sit impedimentum, esse explicandum, quando ante concessionem Pontificiam accidit: nisi sit omnino occultus: & nisi in eo loco consuetudine obtentum sit, ut hujus incestus nulla ab Ordinario petatur dispensatio. At nullatenus dicit esse illius mentionem necessariam, quando post Pontificis concessionem contingit.

8 III. Sent. (cui tanquam longe veriori adhæreo, etsi duæ præcedentes sint probabiles) ait reddi dispensationem subreptitiam tacito incestu inter consanguineos, vel affines volentes matr. copulari: sive eis contigerit ante Pontificis dispensationem, sive post, antequam Ordinarius illam expediat. Hujus sent. legitimum fundamentum non est, quod is incestus præbeat aliquod matr. impedimentum. Nam contrarium est verius (ut num. 6. dixi) Sed fundamentum est stylus Curiæ, qui obtinuit, ut incestus hic declaretur. Nec falsæ præsumptioni innititur: sed ejus ratio est, ut timore hujus manifestationis faciendæ arceantur consanguinei & affines ab incestuosa copula. At ea quæ stylus Curiæ servat, sunt necessario in dispensatione explicanda (ut diximus disput. 21. num. 16.) ubi & adversariorum solutiones improbavimus. 2. quia taciturnitas veri, quo expresso Pontifex non solet concedere dispensationem eo modo quo concessit, sed cum quibuldam moderationibus reddit eam subreptitiam (ut diximus ea disp. 21. n. 17.) At manifestato incestu non solet Pontifex eodem modo dispensare, sed præcipiens pœnitentiam imponi contrahentibus, & longe majori compositione pecuniaria, & moderando dispensationem hoc modo, ut superstes eo matrim. soluto ad aliud non transeat. 3. quia etsi verum sit in desuetudinem abiisse peti dispensationem, ut incestuosus matr. contrahat, id intelligendum est, quando cum alia femina ab ea cum qua incestum commisit, vult contrahere. At quando cum ea vult, merito incestus est necessario facienda mentio, ob prædictum Curiæ stylum, moderamina adhibere solentis. Propter quam etiam rationem etsi alias potest Episcopus in hoc incestu dispensare, at nequit quando illi consanguinei, vel affines volunt inter se matrim. inire. Obstat enim stylus Curiæ, petens ut in consanguinitatis vel affinitatis dispensatione explicetur quoque is incestus, ne subreptitia sit. Quod si dicas his rationibus concludi, esse necessario explicandum incestum, quando contingit ante dispensationem Pontificis: secus autem quando post. Quod jam nil tacitum sit Pontifici, & detur veritas precum ipsi narratum. Sed adhuc vitiari dispensationem inde constat, quod ante ejus dispensationis consummationem, quæ contingit per ejus executionem factam ab Ordinario vel Confessore, cui committitur, mutatur casus in dispensatione contentus. Cum jam adjunctus sit casus, qui erat necessario explicandus. Quare clausula, si preces veritate nitantur, refertur ad tempus concessionis Pontificis, & executionis Ordinarii vel Confessoris. Et ideo hujus sentent. sunt, indistincte loquentes de incestu, & de tempore, quo admissus est *Collectarius*, quem refert & sequitur *Gambara de authorit. legati, l. 7. t. Dispensat. legatorum circa matrim. num. 409 Nævar.* loquens de incestu cum cognata, *in summ. Lat. novissima, cap. 22. num. 86. fin. Sarmiento* loquens de incestu cum consanguinea, *l. 1. Secular. cap. 9. cap. 1. & 3.* Et loquentes de incestu cum consanguinea vel affini, & explicantes utrovis tempore commissus sit, tenent *Guttier. q. can. l. 2. cap. 13. num. 133. & l. 1. c. 15. num. 16. & multis seq. & n. 24.* refert verba Congregationis Cardinalium in utroque casu id declarantium *Gallego. de cognat. spirituali, c. 24. a n. 3. usque ad 18. Petr. de Ledesm.* dicens rem esse certam ob Cardinalium declarationem, licet attento jure communi 1. sent. esset probabilior, *de matr. quæst. 56. ar. ult. dub. 2. diffic. 2. concl. 2. & 4. & summ. Sacram.* ubi de matr. *c. 27. circa 1. concl. dub. 3. & 4.*

9 Hanc sent. extendit *Gallego de cognat. spirit. c. 24. nu. 3. & seqq.* ad cognationem spiritualem: quia *n. 1.* quæstionem proposuerat de copula habita cum consanguinea vel affini, vel cognata spirituali: & respondet *eo. n. 3.* esse necessario explicandam. At verius existimo solum incestum cum consanguineis, vel affinibus exprimendum esse. Quia is solus veram incestus rationem habet: & de eo solo ita obtinet stylus Curiæ. Et ita docet *Nav. l. 4. consil. in 2. edit. t. De cognat. spir. cons. ult. n. 6. & 9.*

10 Similiter credo nec explicandam esse copulam incestuosam cum consanguinea vel affini non consummatam. Ut si vir vas seminæ penetrarit non effuso intra femine. Quod is coitus non sit vera copula, sed instar cujusdam tactus impudici. Nec quando fuit ex parte alterius tantum incestuosa. Quod alter cojens ignorarit consanguinitatem, vel affinitatem alterius. Quia non est totalis & undequaque incestus: & hæc pœnalia sunt restringenda.

11 Præterea quando incestus esset occultus, non oportet ejus mentionem fieri in dispensatione pro foro externo proposita Pontifici: sed satis est petere ejus dispensationem in sacra Pœnitentiaria, explicata quoque ibi consanguinitate vel affinitate publica, super qua aut dispensavit, aut dispensaturus est Pontifex. Sicut quando est duplex impedimentum, alterum publicum, & alterum occultum, diximus quid faciendum disp. 23. n. 7. & 8. ubi id probavimus. Et ita tenet *Gallego de cogn. spir. c. 24. n. 3.* Et posse tunc a Pœnitentiaria impetrari dispensationem illius incestus docet quoque *Nav. lib. 4. cons. t. de consang. in 1. edit. cons. 1. fine, in 2. cons. 9 fine.* Et quamvis subdat posse quoque ab Episcopo, loquitur juxta 1. sent. quam ipse sustinet (ut ex ipso retuli num. 6.) At retenta nostra, hoc negandum est. Quia (ut dixi n. 8.) non impetrator tunc vera dispensatio incestus: is enim impedimentum non est. Sed suppletur vitium dispensationis Pontificiæ, in qua narrandus erat hic incestus, ut valida esset. Et similiter si is incestus contingat post dispensationem Pontificis, antequam illam Ordinarius expediat, si est publicus, est iterum explicandus Pontifici cum consanguinitate vel affinitate: si autem occultus, sacræ Pœnitentiariæ, explicata eadem consanguinitate vel affinitate. Quia redditur tunc dispensatio subreptitia & irrita, ac si a principio is incestus contigisset. An vero possit tunc a sacra Pœnitentiaria oppositio peti, quæ erat petenda proposito eo incestu in foro externo, dicemus disp. 24. n. 64.

12 Ex his deducitur 1. quid dicendum sit retenta prima opinione probabili relata n. 8. afferenti minime esse necessariam incestus mentionem: quid (inquam) dicendum sit, quando Pontifex dispensat cum consanguineis, vel affinibus, sub hac conditione, dummodo copula non intervenerit. Nam quidam indistincte censent dispensationem tunc fore subreptitiam, sive intervenerit copula ante Pontificis dispensationem, sive post, antequam Ordinarius illam concedat. Quia deficit conditio, & preces debent utroque tempore veræ esse. Sic docent *Cordub. summ. q. 45. opin. 2. punct. 5. Lud. Lop. 1. p instruct. c. 296. col. 11. vers. Igitur pro resolutions. Vega 2. tom. sum. cap. 34. casu 97. Petr. de Led. de matr. q. 56. ar. ult. dub. 2. diffic. 3. concl. 3.* Sed magis placet quod docet *Emm. Sa sum. v. Dispensatio, num. 10.* ubi dicit hanc conditionem intelligi juxta naturam dispensationis concessæ. Si enim ea in foro externo concedatur, intelligitur conditio, dummodo ea copula constet in foro externo: si vero in foro conscientiæ, intelligitur, quamvis occulta sit. Quia clausulæ dispensationi adjectæ debent intelligi juxta dispensationis naturam. Et priorem hujus partem videtur tenere *Enriq. l. 12. de matr. c. 2. n. 7.* juxta ea, quæ n. sequenti referam ex ipso. Et dicit *in commento lit. X.* nunquam solere hoc adiici per modum conditionis, sed ut quemdam modum.

13 Secundo deducitur, quid dicendum sit de judice interrogante consanguineos vel affines de copula incestuosa, qui ad ineundum inter se matr. dispensationem obtinuere? Et quidem si concedatur dispensatio sub conditione, si copula non intervenerit: quidam asserunt teneri hos interrogatos illam fateri, sub mortali, etsi non adsit juramentum, nec valere dispensationem. Quod judex juridice roget, utpote, qui ad examinandam precum veritatem id interrogat. Sic *Petr. de Led. de matr. q. 56. ar. ult. diffic. 3. concl. 2. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 238. d. 8. fin.* At si sustineamus opinionem relatam n. præc. nimirum, ex se non esse necesse explicare copulam, sed solum ratione conditionis appositæ, atque eam conditionem intelligi juxta dispensationis concessæ naturam, credo verius esse; quando dispensatio conceditur in foro externo, non teneri hos fateri, nisi interrogentur præcedentibus indiciis aut infamia, & ita docent *Enriq. & Emm. Sa, n. præc. allegati.* Et hic bene addit secus esse, quando in foro conscientiæ conceditur dispensatio. Unde consequenter dicendum est in priori casu non reddi irritam dispensationem, negata copula occulta: secus in posteriori. At si contrahentes narraisent in precibus se non habuisse copulam: idque Pontifex narret in dispensatione, addita clausula solita apponi; si preces veritate nitantur, credo quantumvis occulta foret copula, jus esse judici interrogandi, & copula negata subreptitiam esse dispensationem. Quia interrogatio solum tendit ad veritatem precum examinandam.

14 Quando autem Pontifex non apponit eam conditionem, quidam reprehendunt usum receptissimum in tribunalibus Ecclesiasticis interrogandi de hac copula: & dicunt non teneri contrahentes illam fateri, dum occulta est. Sic *Salz. in pract. Bernardi Diaz. c. 126 in nova edit. col. 17. vers. Unde merito.* Et non teneri hos incestum occultum fateri docent etiam *Nav. l. 4. cons. in 1. edit. 1. de sponf. 2. fin. & n. 2. t. de consang. cons. 10 fine Ovandus 4. d. 41. disp. un. immediate ante 12. propos. Enriquez & Emm.*

Thom. Sanchez de Matrim. Tom. III.

Sa n. 12. relati. Petr. de Led. de matrim. q. 56. ar. ult. dub. 2. diffic. 3. concl. 2. & sum. Sacram. ubi de matr. *c. 27. circa 1. concl. dub. 4. Manuel 1. tom. sum. in 2. edit. c. 238. n. 8. fi. Vega 2. tom. sum. c. 34. casu 97.* Hujus rationem reddit *Enriquez*, quia in his non procedit judex ex officio ad consulendum bono publico, vel cavendum tertii damnum, sed in casu quodam speciali. Et ideo non rogat juridice, ut vel sic teneatur reus respondere, quando non præcedunt indicia, aut infamia. Sed melius *Nav. & Salzedo* eam reddunt rationem quod is incestus occultus sit, nec ad dispensationis substantiam conferat illum scire. Quare concludunt illi, & *Ovand. Manuel, Petr. de Led. Vega proxime allegati*, valere dispensationem negata copula: & addit *Ovandus* id verum esse, quamvis constet fore, ut ea cognita Ordinarius non exequeretur dispensationem. Addunt *Petr. de Led. in utroque loco, & Manuel*, hos cum juramento negantes incestum illum occultum peccare mortaliter, non peccato injustitiæ, eo quod judex non roget juridice, sed peccato perjurii. Unde dicunt secluso juramento solam mendacii officiosi culpam admitti venialem. Et addit *Petr. de Ledesf. in illo loco summæ Sacram. nuper allegato*, non esse improbabile dicere etiam perjurium illud non esse mortale, cum judex non roget juridice.

15 Ceterum (ut notavi l. 3. disp. 14. nu. 3.) diversimode juxta varias sent. loquendum est. Quippe retenta nostra sententia dicente incestum occultum esse explicandum dispensatione, ut valida sit, asserendum est, jus esse judici de eo interroganti, & teneri reos fateri, aut si fateri nolint, non uti dispensatione, utpote quæ ob non declaratum in ea incestum est subreptitia. Quia ea interrogatio non eo tendit, ut illi puniantur: sed ut impediatur dispensationis subreptitiæ usus & matr. irritum. Et per hoc satisfit fundamento utrique contrario. Et ita docet *Manuel tract. de ordine judiciar. cap. 10. concl. 4. n. 4. fi.* At sequendo opinionem probabilem dicentem non impediri valorem dispensationis tacito incestu, vera est opinio n. præc. relata. Et dicendum est omni prorsus vacare culpa negare incestum illum etiam cum juramento. Quia id juramentum est verum, ejus enim sensus est, non feci incestum, ut subsitat huic foro externo, in quo judex rogat.

16 Quod si esset alia occulta dispensatio impetrata pro foro conscientiæ pro incestu illo, juxta dicta n. 11. an tunc teneantur contrahentes illum incestum occultum fateri, tenendo ejus taciturnitate reddi dispensationem subreptitiam: dixi eos non teneri, & probavi id l. 3. disp. 14. n. 4. Et idem sentio, quando etsi non sit impetrata dispensatio pro foro conscientiæ, at contrahentes nolunt ea dispensatione uti, donec aliam pro conscientiæ foro impetrent. Quod esset tunc ratio, ob quam judici integrum est de eo incestu interrogare.

17 Tandem ex Curiæ stylo solet adiici clausula in his dispensationibus, dummodo mulier rapta non fuerit, juxta regulam Cancellariæ, quæ apud *Rebuf. in praxi benef. in reg. Cancellariæ*, est 50. & sic habet: *Item voluit quod in litteris dispensationis super aliquo grado consanguinitatis, vel affinitatis aut alias prohibitis poneretur clausula, si mulier rapta non fuerit. Etsi scienter: ponatur clausula addicta in quinternio.* Et *Rebuf. ibi vers. penult.* ait quoties Pontifex dispensat in his impedimentis, solitum apponi, dummodo mulier rapta non fuerit. Quia super hoc non intendit dispensare, nisi expresse concedatur in dispensatione. Et statim *vers. ult.* explicans eam partem regulæ: *Etsi scienter: ponatur clausula addita in quinternio*, ait sensum esse, si raptor scienter raptam duxerit, & petatur dispensatio, apponatur clausula, ut ratione delicti separentur ad certum tempus, donec commissarii arbitrio egerint pœnitentiam: juxta *c. Ex litteris, de eo qui cognovit consang.* Sed hoc intelligebatur ante Tridentinum. Quia tunc raptus non erat impedimentum dirimens, sed solum impediens. Quare cum matr. non obstante raptu valeret, non erat in perpetuum separandum: sed eo quod contra Ecclesiæ prohibitionem initum erat, separabatur ad tempus (ut probavi l. præc. disp. 2. n. 14.) At quando raptus est impedimentum dirimens, juxta novum Tridentini decretum (de quo satis egi l. præc. tota disputatione 13.) Si cum eo impedimento matrimonium ineatur, est in perpetuum separandum, donec legitime ineatur.

18 Sed quæres de quo raptu intelligatur hæc clausula, *Gaeta, c. Ad limin. 30. q. 1. §. 4. q. 134. n. 366. fin.* ait sensum hujus clausulæ esse dummodo femina rapta non fuerit causa matr. cum ea ineundi, ac proinde huic renuntiarit, conveniendo cum raptore de alio ineundo. Vel secundo, & dicit esse communiorem intellectum, quasi Pontifex velit in hoc novum impedimentum inducere, quando femina rapta fuerit ad finem matr. cum ea ineundi. Et eam regulam intelligi quando ad finem hunc raptus, docet quoque *Petr. de Ledesf. de matr. q. 56. ar. ult. dub. 3. fine*. Et placet mihi, eo quod tendat ea clausula quasi ad confirmationem *Trid. sess. 24. de matr. c. 6.* statuentis impedimentum inter raptorem & raptam. Quod tamen de solo raptu ad finem matr. cum rapta ineundi intelligi, dixi lib. præced. disp. 13 n. 4. Et quamvis id impedimentum non sit perpetuum, sed dum rapta manet in raptoris potestate: at ut his raptibus obvietur, volunt Pontifices non dispensare, quando hujusmodi raptus intervenit, nisi exprimatur in dispensatione. Quando autem censeatur esse raptus, dixi tota ea disp. 13. ubi num. 16. dixi non esse locum ei pœnæ Tridentini juxta veriorem sent. si virum femina rapiat. Et eadem ratione censeo non comprehendi in hac clausula similem raptum. Et credo dispensationem reddi subreptitiam, etsi feminæ raptus a viro factus ob finem matr. accidat post dispensationem a Pontifice factam, ante tamen quam illam expediat Ordinarius: secus si post Ordinarii expeditionem: ut de ipso incestu dixi n. 4. 5. & 8.

Hinc deducitur, quando consanguinea, vel alia femina, 19
cum qua raptor habet impedimentum dirimens, rapitur causa matr. cum ea ineundi, subreptitiam fore dispensationem, nisi hujusmodi raptus mentio hat: ut bene docet *Petr. de Led. n. præced. allegat.* Et ratio est, quia non verificatur clausula n. præc. allegata. Et esto non apponatur, intelliguntur clausulæ apponi solitæ de stylo Curiæ, ut docet *Silv. v. Rescrip. q. 3. alleg. Abbate, c. Quod transl. n. 3. de offic. legati*, ubi generaliter tradit clausulas apponi solitas suppleri, quamvis non exprimantur.

Ad arg. nu. 6. propositæ resp. Ad 1. & 2. constat ex dictis n. 8. Ad 3. constat ex dictis n. 11. Ad arg. nu. 7. adductum constat ex dictis n. 8. 20

SUMMARIUM.

An si matr. initum & consummatum sit intra gradus vetitos, & si contingat postquam Pontifex dispensavit, antequam Ordinarius exequatur, sit subreptitia dispensatio non facta hujus dispensatione: & quid operetur Tridentinum loquens cum Papa interdixisset hanc dispensationem, n. 21.

An si ineatur, vel consummetur eo animo, ut facilior sit dispensatio, sit is animus exprimendus, 22.

Ante Tridentinum non erat opus explicare hoc matrimon. aut consummationem, & potius reddebat faciliorem dispensationem: secus post n. 23.

An pœna Tridentini, ut hi contrahentes scienter intra gradus vetitos careant spe dispensationis, intelligatur de quocumque impedimento dirimenti, 24.

Qualis ignorantia excuset ab ea pœna: ita ut non sit necessario explicandum matr. etiam consummatum. Proponitur ratio probans desiderari ignorantiam invincibilem, 25.

Explicatur qualis ignorantia excuset ab ea pœna, ita ut id matrimonium non sit explicandum, 26.

Qualis ignorantia desideretur, ut matr. cum ea contractum reddat faciliorem dispensationem præbens justam dispensandi causam, 27.

An aliud sentiendum sit de ignorantia, quando agitur ad excusandam taciturnitatem matr. cum illa initi: & aliud de illa, quando allegatur, ut causa facilior sit dispensationis, 28.

Quæ cautela servanda sit quando matrimonio inito cum impedimento dirimenti, & crasse ignorato, impetratur dispensatio, 29.

An ignorantia solius alterius conjugis excuset ab hac pœna, ac sufficiat, ut facilius dispensetur: & ut verificetur allegatio matr. ignoranter inniti, 30.

An verificetur conditio, dummodo non spe facilioris dispensationis copula habita sit, vel matrimonium initum, quando in solo altero contrahente fuit hæc spes: & sit necessaria illius mentio, 31.

An excuset a pœna matrim. ignoranter contractum, quando omissæ sunt denuntiationes sine licentia, vel cum licentia Ordinarii: vel Ordinario dispensante solum ne præmittantur, consummatum est matr. illis non præmissis, 32.

An sit locus huic pœnæ, quando matrimonium scienter cum impedimento dirimenti initum, fuit omnino clandestinum. Refertur opinio, 33.

Proponitur sententia Authoris, 34.

An sit necessaria mentio hujus matr. clandestini, ejusque consummationis, in impetratione dispensationis illius impedimenti, 35.

An sit necessaria mentio sponsalium, aut spei conceptæ futuri matr. concurrentium cum copula incestuosa, 36.

Post n. 36. invenies cetera summaria quæ desiderantur.

QUæstio II. An ad matr. ineundum inter personas habentes impedimentum dirimens ex legitima dispensatione, sit necessaria mentio de tractatu matr. inter illas habiti cum copula, vel sine illa: & quid, si cum spe facilius obtinendæ dispensationis id matrim. contractum sit? Tota hæc quæstio versatur circa intellectum decreti *Triden. sess. 24. de matr. c. 5.* ubi sic habetur: *Si quis intra gradus prohibitos sciente matr. contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat. Idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matr. contrahere, sed & consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matr. neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo & gratis dispensari poterit.* Quod decretum etsi Pontificem instruat de modo concedendæ dispensationis, nec ejus manus ligare possit, non est modici momenti. Tum, quia Pontif. passim in hoc eventu dispensans absque causa justissima, reus erit culpæ lethalis. Tum etiam, quia dispensationes impetratæ non facta mentione matr. intra gradus prohibitos scienter initi: aut ignoranter omissis denuntiationibus, etsi consummatum sit, consummatio quoque erit subreptitia, (ut utramque partem probavi l. 3. disp. 45. n. 3.) Et hanc posteriorem partem docent quoque omnes Doctores allegandi tota hac quæst. Et idem dicendum est, etsi hoc matr. ejusve consummatio contingat, postquam Pontifex dispensationem concessit, at nondum ea per Ordinarium, vel Confessorem, cui commissa est expedita (ut de copula incestuosa probavi n. 8.) Et ita tenent *Manuel 1. t. summ. in 2. edit. c. 238. nu. 9. Vega 2. t. sum. c. 34. casu 98. vers. Empero nota.* 21

22 Quod si id matr. eo animo ineatur, ut facilius Pontifex dispenset: is quoque animus simul cum matr. explicandus est, ut valeat dispensatio. Quia *Trid. d. c. 5.* ideo statuit, ut scienter contrahens id matrimonium careat spe dispensationis: (ut docet *Nav. c. Si quando, exceptione 5. n. 5. rescript.*) ad compescendam multorum audaciam, quia ea spe freti inibant, ac consummabant matrimonia, non obstante impedimento dirimenti. Quare Tridentinum volens punire eam deordinatam spem facilioris dispensationis ex facto ipso præsumptam a fortiori formalem ipsam spem punit, volens ipsam explicari. Et ita docent *Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 10. n. 14. Ant. Cuc. l. 5. instit. major. tit. 13. n. 18. Guttier. q. canon. l. 2. c. 15. nu. penult. Petr. de Led. de matr. qu. 56. art. ult. dub. 2. diffic. 1. concl. 1. Lud. Lop. 2. p. instruct.* ubi de matrim. *c. ult. col. pen. Hinc corollarie Philiarc. de offic. sacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 13. init.* Atque idem est dicendum, si ea spe consummetur matrim. est enim consummationis, & illius spei mentio facienda. Et constat ex eadem ratione. Et sic docent *Navar. d. Exceptione 5. n. 5. & sum. hisp. c. 22. fin. Toledo l. 7. sum. c. 28. n. ult. Guttier. d. c. 15. fin. Lud. Lop. proximè alleg.* Quod si spes hæc fuerit ex parte unius solum contrahentis, dicemus n. 31.

23 Hinc deducitur contractum ac consummationem matrimonii, quæ ante Tridentinum inclinabant Pontificem ad facilis dispensandum, jam hodie retrahere per id decretum. Sic *Nav. sum. lat. c. 22. n. 86. vers. 5. Guttier. d. c. 15. n. ult. Enriq. l. 12. de matr. c. 3. nu. 8.* Unde bene *Petr. de Ledesf. de matr. q. 56. ar. ult. dub. 2. diffic. 3. post 3. concl. corollar. 4.* ait ante hoc Tridentini decretum non nocuisse impetrationi dispensationis præcessisse matrimonium, vel id occultatum esse Pontifici in precibus narratis.

24 Sed circa hoc Tridentini decretum aliquæ difficultates insurgunt. I. est, an intelligatur de contrahentibus cum quocumque impedimento dirimenti? *Enriq. l. 12. de matr. c. 3. n. 8. in comment. lit. P.* ait videri intelligi de solo consanguinitatis, & affinitatis impedimento. Quia dicit: *Si quis intra gradus prohibitos.* At hoc solum impedimentum gradus habet. Et cum id decretum sit pœnale, non debet extendi. Sed id intelligi de quocumque impedimento dirimenti probavi latissime l. 3. disp. 42. n. 7. & id verissimum censeo. Et ideo de impedimento dirimenti absolute loquuntur explicantes hoc decretum. *Navar. sum. hisp. c. 22. fin. Toledo l. 7. sum. c. 18. n. ult. Philiar. de offic. sacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 13. init.* Et in propriis terminis hoc tuetur *Petr. de Led. de matr. qu. 56. art. ult. dub. 2. diffic. 1. concl. 1.* Unde quocumque impedimento dirimenti laborantes si ejus impedimenti conscii matrimonium inter se ineant, aut si ignoranter, omissis tamen denunciationibus, tenentur id matr. in dispensatione narrare: & si consumment, consummationem quoque, ne sit subreptitia.

25 II. Difficultas est. Qualis ignorantia excuset ab hujus decreti pœna, ita ut non sit necessario mentio facienda matrimonii ignoranter contracti, aut ejus consummationis, in dispensatione impedimenti? Et videtur desiderari ignorantia probabilis, & justa. Quia *d. c. 5.* sic dicitur: *Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit.*

26 I. Tamen conclusio sit. Quando denunciationes in Ecclesia præcessere, excusat ab hac pœna quævis ignorantia quamtumvis crassa, modo non dici possit ingens temeritas. Constat ex dictis l. 2. disp. 40. n. 4. ubi eam probavi. Quia Tridentinum petit scientiam, audaciam, & temerariam præsumptionem. Nec satis est ad hanc scientiam, & malam fidem scientia speculativa, qua conjuges norint alterum ante matrimon. accessisse ad consanguineam alterius, nisi adsit simul scientia practica, qua norint inde oriri impedimentum; ut probavi eadem disp. 40. num. 4.

27 II. Conclusio. Et id matrim. ignoranter initum præmissis denunciationibus præbeat causam justæ ac faciliores dispensationis, oportet ignorantiam justam ac probabilem esse. Constat ex verbis Tridentini *d. c. 5. relatis, n. 21.* ubi caute aliud statuit, ut incurratur pœna carendi spe dispensationis: & aliud, ut id matr. sit causa facilioris dispensationis. Nam in priori casu petit scientiam, ac præsumptionem in contrahendo, vel culpabiliter omissas esse denunciationes. Cum tunc ageret de pœna gravissima incurrenda. At in posteriori, ubi non de pœna agit: sed de gratia, petit ignorantiam probabilem, ac justam. Et ratio est, quia ignorantia excusat a culpæ gravitate, & ideo a gravissima pœna. At non excusat a male matrim. initi delicto, & ideo æquum est, ut non præstet facilioris dispensationis causam. Cum delictum non sit dignum præmio.

28 Hinc infertur, aliud esse dicendum de taciturnitate matr. cum impedimento dirimenti ignorato contracti, ac ejus consummatione: & aliud de ejus expressione allegata tanquam facilioris dispensationis causa, eo quod ignoranter initum sit. Nam ut ea taciturnitas non reddat dispensationem subreptitiam, satis est ignorantia quæcumque in contrahendo, & consummando, quæ non sit ingens temeritas. At ut ea expressio excuset a subreptione, oportet ignorantiam esse justam. Ut ex dictis num. præced. constat.

Unde cauti sint petentes dispensationem matrimonio semel 29
inito cum impedimento dirimenti crasse ignorato. Si enim allegent se ignoranter contraxisse, cum allegent ignorantiam tanquam causam dispensandi, subreptitia erit dispensatio, ob dicta n. præced. Si autem scienter se contraxisse narrent, erit difficillima dispensatio, ob decretum Tridentini, ac subjicientur pœnæ cui obnoxii non erant. Quare, ut utramque vitent, debent in precibus narrare se non scienter, & malitiose contraxisse.

Sed dubitabis, an sufficiat ignorantia ex parte alterius con- 30
jugis quamvis alter sciens contraxerit? Dic si agatur de non incurrenda pœna prædicti decreti Tridentini; & sic ut non sit necessaria in dispensatione mentio matrimonii male contracti, & consummati, satis esse alterius ignorantiam, (ut probavi l. 2. disp. 40. n. 4.) Et tenet *Enriq. l. 12. de matr. cap. 3. n. 8. in comment. lit. S.* Qui idem clare sentit sufficere, ut præstet caulam facilioris dispensationis, juxta id decretum. At id non placet. Quod aliud sit pœnam incurrere, ad quod malitia utriusque desideratur: ne innocens ob alterius scelus plectatur: & aliud gratiam consequi: Quod bonam utriusque fidem petit. Quare merito *Navar. l. 4. consil. in 2. edit. tit. de consang. cons. ult. nu. un.* tuetur non valere dispensationem, quando impetrata est allegando consanguineos ignoranter contraxisse, licet femina ignoravit, si vir sciens, vel scire debens contraxerit. Atque idem diceret si e contra viro ignorante sola femina sciret. Non enim refert uter eorum ignoret.

Hinc infertur clausulam apponi solitam in dispensationibus 31
petitis explicata copula incestuosa, nimirum, si non fuit habita spe facilioris dispensationis, verificari, quando ea spes concepta fuit ex parte unius tantum. Et similiter non existimo necesse esse ejus spei mentionem facere, sive in ea copula, sive in matr. scienter inito, quando fuit ex parte unius tantum. Ducor, quod hæc obligatio hujus spei manifestandæ consurgat ex Trident. decreto, *d. cap. 5.* (ut probavi nu. 22.) eo quod contrahentes illa spe incurrunt ejus decreti pœnam. Et ideo solet apponi prædicta clausula in aliis dispensationibus, ut in pœnam illius pravæ spei careant illo dispensationis effectu. Si ergo pœna illius decreti requirit utriusque culpam, juxta dicta ratione, quod habebit locum in hoc eventu, ubi ea spes ab altero solo concepta est. Nec enim par est, ut delictum alterius sit causa punitionis innocentis.

Ultima concl. Si matr. contractum sit ignoranter, at negle- 32
ctis præviis denunciationibus, non excusat ea ignorantia a pœna *Tridentini d. c. 5.* Quod expresse ibi decernitur ea reddita ratione, quod salubris Ecclesiæ præcepta contemnens indignus sit, ut ejus benignitatem facile experiatur. Quare secus esset si eæ denunciationes ex Ordinarii licentia non præmitterentur, quia tunc nec negliguntur, nec temere omittuntur, quod petit *Tridentinum ibi*, ut locus sit ei pœnæ, quod si Ordinarius tantum dispensaret, ne præmittantur matrimon. cum *Tridentinum ead. sess. 24. de matrimon. c. 1.* obliget tunc ad non consummandum, donec præmittantur, si consummarent iis non præmissis contrahentes, consummatio illa non excusaretur ratione ignorantiæ a prædicta pœna, cum revera hi dicantur denunciationes neglexisse.

Postrema difficultas est. An huic pœnæ locus sit, quando 33
matrimon. illud scienter cum impedimento dirimente initum fuit omnino clandestinum, quod non interfuit parochus cum duplici teste: affirmat *Petrus de Ledesma de matr. q. 56. artic. ultim. dub. 2. diffic. 1. conclus. 2. & summ. Sacram.* ubi de matrimon. *cap. 27. circa 1. conclus. dub. 2.* Et idem videtur sentire *Manuel 1. t. sum. in 2. edit. cap. 238. num. 6. Vega 2. tom. summ. cap. 34. casu 97. fine*, ubi explicant hoc decretum, sive publice sive clam matrimon. sit initum. Idem significant *Corduba sum. q. 45. opin. 2. punct. 5. Ludov. Lopez 1. p. instruct. cap. 266. colum. 11. vers. Igitur pro resolutione*, ubi docentes incestum commissum post Pontificis dispensationem, ante executionem Ordinarii, non vitiare dispensationem: ponderant eum non habitum fuisse animo tunc clandestini ineundi matrimon. Et potest probari, quia si ignorantia non excusat omittentem denunciationes, quæ non sunt de matrimonii substantia: eo quod hic indignus sit Ecclesiæ benignitate ejus præcepta contemnens: ut expresse hac reddita ratione deciditur *eod. c. 5.* nedum eam pœnam incurret iniens scienter matrimon. omissa forma substantiali, utpote, qui in re multo magis necessaria contemnit præceptum Ecclesiæ. Alias minori pœna plecteretur reus multo gravioris delicti. 2. quia matrimon. id punitur in Tridentino, ut arceatur audacia, quia aliqui impediti inibant matrimon. spe facilioris dispensationis, quæ ratio militat quoque in matrim. clandestino. 3. quia matrimon. hoc esse irritum nil confert ad evitandam ejus decreti pœnam, cum nullum matrimon. validum in eo decreto puniatur, sed id solum quod irritum est ratione alicujus impedimenti dirimentis.

At probabilius censeo non esse locum huic pœnæ in illo even- 34
tu, quod docet *Enriquez lib. 12. de matrim. cap. 3. num. 8.* Ducor, quod Tridentinum puniat ea pœna præsumentes contrahere matrimon. cum impedimento dirimenti. At hi contrahentes

tes non præsumpsere inire matrim. Quippe deficit forma ejus substantialis. 2. quia non militant rationes Tridentini. Non prior, quæ nu. præced. in 2. argum. est proposita. Quia lex prior, quæ nu. præced. in 2. argum. est proposita. Quia lex intendit pœnis afficere ea, quæ frequenter accidunt, parum intendit pœnis afficere ea, quæ frequenter accidunt, parum de raro contingentibus curans, *l.Nam ad ea, ff. de legibus*. At Tridentinum recte novit fore, ut matrim. clandestina ab omni irritata, imposterum, aut nunquam, aut rarissime inirentur: utpote quæ nullius emolumenti futura sint. Cum nec externam quidem matrimonii speciem habeant, sed sint concubinatus quidam. In cujus signum *idem Trid. ead. sess.* 24. *c.*1. hujusmodi matrim. clandestinum irritans, solis arbitrariis pœnis id puniendum decrevit, nolens pœnas certas præscribere: quod rarum futurum esset. Non ergo *d. c.*5. pœna ibi decreta voluit hoc matrim. plectere tanquam rarum, & indignum, prorsus ut eo ducatur Pontifex ad facilius dispensandum. Non etiam militat posterior ratio in arg. 1. proposita num. præced. quia hi non ita temere contemnunt præcepta Ecclesiæ, ac contrahentes invalide coram parocho & testibus; quia priores nec in se verum matrimonium ineunt, nec habent externam matrimonii figuram, cui suam auctoritatem Ecclesia præstiterit, illud approbans, quod efficiunt posteriori modo ineuntes. Atque ita insolentior præsumptio est, & majori temeritate notanda, in facie Ecclesiæ, ac ipsa auctoritatem præstante matrim. cum impedimento dirimenti inire, quam absque ejus auctoritate clam id efficere. Adde rationem hanc non reddi in Tridentino punitionis omittentium denunciationes, quasi ea pœna puniantur, eo quod Ecclesiæ præcepta contempserint: sed solum redditur ea ratio, ne hos ignorantia impedimenti excuset, eo quod non adhibuerint diligentiam ab Ecclesia præscriptam ad impedimenta investiganda, quæ ratio non militat in contrahente absque parocho, & testibus, cum enim hujusmodi contractus careat matrimonii figura ab Ecclesia approbati: & cui denunciationes præmitti jubet, non est cur culpæ ipsis tribuatur omissio denuntiationum: sed non observasse formam ab Ecclesia præscriptam in matrimonii contractu. Et ex his constat ad rationes contrarias.

35 Hinc deducitur 1. non esse necessariam hujus matrim. mentionem, ejusve consummationis, in impetratione dispensationis circa id impedimentum dirimens: sed satis erit copulæ incestuosæ mentionem facere, eo prorsus modo, quo illius mentio erat necessaria fecluso matrim. Quare si copula non intervenit, nulla mentio necessaria est. Quia ante hoc Tridentini decretum non erat necessaria matrim. mentio, (ut diximus n. 23.) at Tridentinum eam necessitatem inducens ratione pœnæ carendi spe dispensationis, qua matr. cum impedimento contractum, ejusque consummationem afficit, non loquitur de hoc, quod omnino clandestinum est.

36 Secundo deducitur, nec esse necessariam mentionem sponsalium, quæ inter hos sic impeditos una cum copula intercessere, sed solam copulam attendendam esse. Quia *Tridentinum dict. c.*15. solum matrimon. punit. Quamvis *Lud. Lop. 1.part. instructorii, cap.296. column.*13. *vers. Sed quid si non animo*, sentiant non solum sponsalium tractatum, sed etiam spem conceptam futuri matrim. quando ea spes ad copulam induxit, exprimi debere, ne subreptitia sit dispensatio. Sed ei non est credendum.

SUMMARIUM.

An si copula incestuosa habita sit spe facilioris dispensationis, sit is animus explicandus. Refertur quædam sententia, num. 27.

Explicatur sententia Auctoris: & qualiter admittens delictum spe facilius impetrandæ dispensationis, quod norit Pontificem in illius remedium dispensare, teneatur eum animum explicare: & an Monachus ea spe habitum dimittens teneatur id exprimere, 38.

37 Quæstio ultim. An si copula incestuosa habita sit spe facilius impetrandæ dispensationis, sit quoque is animus necessario explicandus. Quidam censent non esse nunc necesse eum animum explicare, sed fuisse tempore Pontificatus Pii V. quod ipse declaravit suam intentionem esse non dispensandi in hoc casu. Ducuntur, quod nullibi hunc animum declarandum esse statuatur: *Trident.* enim *sess.* 24. *de matrim. c.*5. solum loquitur quando is animus cum matrimonio intervenerit (ut diximus n. præced. & n. 21.) Sic *Navar. lib.*4. *conf. tit. De consang. in* 1.*edit. conf.*5. *n.* 5. *in* 2. *conf.*8. *n.*5. *Enrig. l.*12. *de matrim. c.*3. *nu.*8. *Petr. de Led. de matrim. qu.*56. *art.ult. d.*2. *diffic.*3. *post* 3.*concl. cor.*2. Et videtur tenere *Humada l.*2. *tit.*15. *p.*2. *gl.*10. *n.*6. *fin.* hanc enim sent. refert in ultimo loco, quamvis falso alleget Covarruviam pro ea.

28 At dicendum est eam spem necessario exprimendam esse, ne dispensatio sit subreptitia. Sic censent *Guttier. l.*1. *qu. canon. c.*15. *n.*20. *Lud. Lop. 1.p. instructorii, c.*296. *col.*12. *vers. Tertio dicit*. Et tenet *Emm. Sa sum. v. Dispensatio, n.*10. ubi generaliter tradit vitiari dispensationem ex taciturnitate fraudis factæ ad eam facilius impetrandam. Et videtur tenere *Cordub. summ. qu.*45. *opin.*1. *punct.*1. *ratione* 2. *init.* ubi ait ex hac spe reddi difficiliorem dispensationem. Et colligitur ex *Navar. summ. Lat. & Hisp. c.*12. *n.*72. *& Latin. c.* 22. *n.*86. *vers.*5. *& c.Si quando, except.*5. *nu.*4. *& 5. de rescr. Manuel qu. regularib. t.*2. *q.*46. *ar.*6. *Lud. Lop. prox. allegato*, ubi docent subreptitiam esse dispensationem cum monacho transeundi ad aliam religionem tacito animo, quo dimisit habitum, quando dimisit animo facilius eam obtinendi, eo quod nosset Pontificem non dispensare, nisi habitu prius dimisso. Reddunque rationem, quia æquipollenter hic exprimit falsum: dum enim dimissionem habitus allegat, ut causam secum dispensandi, videtur tacite dicere ex fragilitate a se dimissum esse, & non fraude. Quippe dimissio dolosa non est dispensandi causa, ne ex fraude commodum reportetur; contra *c.Si vir, de cognat. spirit. & c.*1. *de eo qui duxit, & c.Dictum* 30. *qu.*1. Unde hinc eliciunt *Manuel, & Lud. Lop. ibi* hanc regulam generalem. Qui novit Principem concedere aliquam gratiam in necessarium obviandi alicui delicto remedium, ac id committit ut facilius eam impetret, tenetur hunc finem exprimere. Quippe alias æquipollenter exprimit falsum: & ideo subreptitia erit dispensatio. Et colligitur ex *D.August. epist.*70. *ad Aurelium*, & refertur *cap. Legi* 16. *qu.*1. ibi: *Non est danda via servis Dei, ut facilius putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores*. Sed hæc ratio non bene probat hanc sententiam. 1. quia si hic non allegaret, ut causam dispensationis illam habitus dimissionem, vel copulam, in quibus dicta fraus, & spes reperta sunt, sed alias causas veras, ac legitimas, non videtur aliqua tacita falsi expressio, cum nulla res necessario exprimenda taceatur. Et si dicas fraudem illam necessario exprimendam: petis principium, cum de hoc sit quæstio, & supponas quod probandum erat, cum inde virtualem falsi expressionem inferas. Secundo, quia si aliæ causæ veræ, & sufficientes allegarentur, non probatur ex hac tacita falsi expressione dispensationem esse subreptitiam. Quia ipsamet formalis expressio falsi in quadam causa non vitiat, quando aliæ veræ, & sufficientes expressæ sunt (ut probavi disp.21. n.42.) Nedum virtualis expressio falsi id efficiet. Unde doctrina hæc non est universaliter vera, sed quando delictum id allegatur ut causa, & constat fore ut eo non allegato Pontifex minime dispensaret eo modo quo dispensavit. Qua tunc delictum fraudulenter admissum explicatur ut legitima dispensationis causa, cum talis non sit, sed retrahendi ab illa concedenda, ne ex delicto commodum reportetur. Atque ita virtute & æquipollenter exprimitur falsum. Qua virtute dicitur id crimen ex fragilitate patratum, ac proinde ut fragilitati prospiciatur, esse dispensandi causam. Regrediendo ergo ad nostram quæstionem, superest causam assignare, cur in incestu consanguineorum, vel affinium habita spe facilius dispensationis impetrandæ, sit necessario spes hæc narranda. Nam prædicta regula huic exemplo adaptari nequit, quia tantum abest, ut ea copula absque hac spe habita inducat Pontificem ad facilius dispensandum, ut potius tanquam retrahentem dixerimus n.8. eam esse necessario explicandam. Quare aliunde petenda est ratio hujus sententiæ. Et ea quidem est, quam tradit *Guttier. proxime allegatus*. Quia nimirum stylus curiæ habet, ut in litteris dispensationis impedimenti consanguinitatis, vel affinitatis explicata copula, addatur clausula conditionalis hæc: dummodo copula habita non sit spe facilioris dispensationis. Quare licet ea non addatur, nec explicetur copula, amplectendo opinionem probabilem relatam nu.6. dicentem non esse eam necessario explicandam, adhuc suppletur hæc clausula, juxta dicta n.19. & dispensatio erit subreptitia non explicata copula hoc animo habita, quod stylus curiæ declararit mentem Pontificis esse non dispensare in hoc casu, nisi id exprimat. Quid autem dicendum sit, quando ab altero solo contrahente hæc spes concepta est diximus, n.31.

DISPUTATIO XXVI.

An dispensatio impetrari possit absque mandato ejus, cui impetratur?

SUMMARIUM.

Litteræ ad beneficium possunt absque mandato impetrari. Non vero ad lites, n.1.

Beneficium nequit acceptari absque mandato, 2.

An desideretur mandatum ad dispensationes, & alia privilegia impetranda. Refertur quædam opinio, 3.

Proponitur sententia Auctoris, 4.

An dispensatio prosit ignoranti, & antequam illam acceptet, 5.

An dum impedimentum est commune utrique contrahenti, satis sit ab altero impetrari dispensationem, altero prorsus ignorante, 6.

Quid, si impedimentum sit tantum alterius, vel sint diversa in utroque, 7.

Satisfit argumentis, 8.

1 Constat apud omnes, litteras ad beneficia posse impetrari absque mandato speciali, vel generali ejus, cui beneficium impetratur. Sic colligitur ex *c.Si motu proprio, de præb. in*6. ibi, *Secus si ad petitionem illius, vel alterius pro eo*. idem ex *cap. Nonnulli*, §.*Sunt & alii, de rescript. per locum aspeciali*: ibi enim tanquam quid speciale decernitur, litteras ad lites impetrari non posse absque speciali mandato, Præterea quia id decretum est in litteris ad lites causa litium vitandarum, quæ ratio in litteris ad beneficia cessat. Et ita docent *gl. d. c.Nonnulli*, §.*Sunt & alii, v.Sine speciali, ad fin. & ibi Abb. n.*1. *Felinus n.*46. *Idem Glossa c.ad aures, v. Litterae, eod. tit. & ibi Abb. fin. Decius fin. Imola nu.* 3. *Ripa n.*44. *idem Abb. c.Ex ore, nu.*2. *de his quæ fiunt a majori parte capituli, & c.Innotuit, num.*10. *de elect. Decius c.Ad hæc, in nova edit. n.*6. *notab.*2. *fin. de rescript. Domin. d.c. Si motu proprio, n.*2. *Nav. c.Si quando, præludio* 1. *nu.* 2. *de rescript.* & omnes Doctores quos n.3. & 4. allegabo.

2 Ad acceptandum tamen beneficium alteri impetratum desideratur speciale mandatum ejus, cui acquiritur. Sic *citata decissione Rotæ* sustinet *Felin. c.Nonnulli*, §.*Sunt, & alii n.* 46. *de rescript.*

3 At difficultas est de impetratione dispensationis, & aliorum privilegiorum. Quidam enim censent speciale mandatum ejus cui impetratur, desiderari. Ducuntur ex *c.Innotuit de elect.* ubi petita est a Pontifice dispensatio ad confirmandam electionem cujusdam illegitimi, quæ irrita fuerat, & tamen ait textus: *Cum non ad postulandam dispensationem, sed ad petendam confirmationem ipsius fuerint nuntii destinati, ad præsens non duximus admittendam*. 2. quia regulariter nemo potest agere pro alio sine ejus mandato, 10. *ff. & C. de procur. toto tit.* Tertio, ex *l.Illud*, §.*Si talis, ff. de minoribus*, ex quo textu constat speciale mandatum desiderari ad restitutionem in integrum petendam. Cujus rationem reddit *ibi Baldus*, *n.*1. quod ea restitutio sit contra jus commune. Quæ ratio similiter in omni dispensatione procedit. Hanc sent. supponere videntur *Host. c.Suscitata, n.*3. *de in integrum restit. & ibi Abb. nu.*5. *Card. n.*2. *opposit.*7. Et in propriis terminis docent *Speculator, tit. de procuratore*, §.*Ratione igitur, nu.*5. *vers.* 21. *& n.* 6. *vers.*24. *Abb. d. c.Innotuit, n.*10. *Bald. d. l.Illud*, §.*Si talis, n.*1. *Corsetus in suis singularib. v.Mandatum, statim in principio*.

4 Ceterum tenendum est, nec speciale, nec generale mandatum desiderari ad dispensationes, & quævis alia privilegia impetranda: sed posse valide impetrari eo, cui impetrantur, ignorante. Probatur rationibus quibus id probavi n.1. de impetratione beneficii. Nam æque militant in omnibus privilegiis, gratiis, & dispensationib. 2. ex *l.universi 6. C. de precibus Imperat. offer.* quæ decidit non referre, a quo impetratum sit privilegium, dummodo a Principe concessum sit. 3. quia tantum est, ut textus *c.Innotuit, de elect.* cui innititur contraria sententia, illam probet, ut potius hæc ex illo colligatur. Quippe non loquitur de speciali mandato ejus, cui impetranda erat dispensatio, sed de mandato capituli: ac proinde supponit, sufficere mandatum speciale capituli ad impetrandam dispensationem illegitimo male electo. Adde cum *Loazes de matr. Regis Angliæ, dub.*8. *n.*10. in eo textu, non ad petendam dispensationem, sed ad petendam solius irritæ electionis confirmationem nuntios illos a capitulo destinatos fuisse, & ideo non potuere nomine capituli supplicare Pontifici pro dispensatione. Et quia fines mandati diligenter servandi sunt *c.Cui de non Sacerdotali, de præb. in*6. denegavit Pontifex dispensationem tanquam non petitam a capitulo. Tandem quia pro hac parte faciunt DD. communiter, dum disputant an privilegium, & dispensatio prosint absenti a tempore concessionis, an a tempore scientiæ? Nullus enim controversiæ huic locus esset, nisi tanquam certum supponerent posse ea ignorantibus impetrari a quocumque. Hujus sent. videtur *gl. c.Nonnulli*, §.*Sunt & alii, v.Sine speciali, ad fin. de rescript.* ubi reddens rationem cur rescriptum beneficii absque mandato valeat: ait, quia super nulla lite impetratur, sed de gratia tantum conceditur. Atque ideo aperte sentit idem de quibuscumque gratiæ rescriptis. Et tenent *ibi Hostiens. fin. Felinus n.*45. *Bellamera d. c.Innotuit, n.*13. *Loaz. d. dub.*8. *n.*5. *& seq. Rebuff. praxi benef. tit. de different. inter rescripta gratiæ, & justitiæ, n.*16. *& tit. De dispensatione, n.*12. asserit se nunquam praxi vidisse servari, ut mandatum exigatur, *Greg. Lopez l.*39. *v.Sin personoria t.*18. *p.*3. *Navar. l.cons.* 1.*edit. tit. De sponsal. cons.*14. *fin. & l.*5. *tit. De privil. cons.*4. *n.*4. *& seqq. in* 2.*edit. l.*1. *tit. de rescript. cons.*2. *n.*2. *& seqq. & cons.*3. *fin. & cons.*4. *a n.*4. *Emm. Sa summa, v.Gratia, n.*23.

5 Non prodest autem dispensatio ignoranti, donec ab ipso acceptetur; vel ab alio habente speciale ejus mandatum: sicut de beneficio diximus, n.2. Et late hoc explicui l.3. disp.36.

6 Dubitabis autem an dispensatio impetrata ab altero volentium matrimonium inire, vel qui irritum inierunt, prosit utrique, quamvis alter prorsus impedimentum, ac dispensationem ignoret? Videtur enim pars negans. Tum quia dispensatio, cum sit stricti juris, non extenditur de persona in personam. Tum etiam, quia cum utrique dispensatio deservire debeat, nec prosit nisi a tempore scientiæ, videtur necessarium, ut utrique constet. At dicendum est, quando impedimentum necessario afficit utrumque, ut est consanguinitas, vel affinitas, quæ alterum solum afficere nequit, satis esse dispensationem ab altero obtineri, vel acceptari, ut prosit etiam alteri ignoranti, quia dispensatio ad necessario connexa extenditur. At dispensatio unius ad contrahendum cum femina est annexa dispensationi feminæ ad contrahendum cum eo. Et eo ipso quod alter ex his suam dispensationem acceptat, fit habilis ad contrahendum cum altero, Quod fieri nequit nisi uterque habilis sit. Proderit ergo dispensatio illa alteri ignoranti. Et ita docent *Navar. l.*4. *cons. in* 1.*edit. tit. De sponsal. cons.*14. *n.* 2. *in l.*1. *tit. de rescript. cons.*3. *n.*2. *Enrig. l.*11. *de matr. c.*3. *nu.*6. *in commento lit.H.* Quod idem supponunt DD. omnes, quos l.2. disp.39. n.2. retuli, dicentes quando matrim. fuit irritum ob aliquod impedimentum ab altero ignoratum, posse conjugem impedimenti conscium impetrata illius occulta dispensatione, nec alteri illa explicata, nec impedimento, simulanter petere illius consensum.

Quod si esset impedimentum alterius tantum, quod alter solus castitatem voverit, vel ita commune, ut sit prorsus in utroque diversum, ut si uterque castitatem promiserit, necesse est ut ille, qui impedimento affectus est, & si uterque sit, ut uterque illam acceptet: quamvis absque ejus mandato possit impetrari. Ratio est, quia dispensatio directe impetratur habenti impedimentum, nec impetrata uni, impetratur per quamdam necessariam consequentiam alteri; sicut contingit in casu, quem n. præcedenti explicuimus; ergo is qui illa eget, debet eam nosse, & acceptare; & si uterque egeat, uterque.

Ad arg. n.3. proposita respond. Ad 1. constat ex dictis n.4. 7
Ad 2. dic id verum esse in rescriptis justitiæ, secus in rescriptis gratiæ. Ad 3. dic id esse speciale, non ob rationem ibi signatam a *Baldo*, sed ob aliam, quam ipsemet tradit ibidem, nempe, quia venit procurator ad retractandum factum domini. Ut *l.Hominem, ff. mandati*.

DISPUTATIO XXVII.

An commissio dispensandi in matr. impedimentis, & generaliter quæcumque alia potestas delegata, expiret morte, vel cessatione officii personæ, cui commissa est.

SUMMARIUM.

Potestas delegata potest committi expresso nomine solo proprio delegati, aut solo nomine dignitatis, aut utroque, n.1.

Commissio personalis cessat morte delegati non vero realis, sed transit ad successorem, 2.

An ad hoc dijudicandum sint potius aliæ conjecturæ spectandæ, quam si fiat commissio sub nomine proprio delegati, an sub nomine dignitatis, 3.

An in dubio præsumptio personæ præponderet, & censeatur personalis, 4.

Quot quæstiones disputandæ sunt, 5.

An commissio facta expresso nomine delegati pereat ejus morte, non autem quando expresso nomine dignitatis, vel officii, sed transeat ad successorem, 6.

An facta nomine dignitatis expresso transeat ad successorem, quando prior objit re integra, 7.

An dignitas Vicarii Episcopi habeat successorem, & sic commissio illi facta sub nomine dignitatis transeat eo mortuo ad successorem. Refertur duplex opinio, n. 8. *& 9.*

Explicatur sententia Auctoris, & an idem sit de Vicario capituli, & Prælatorum habentium jurisdictionem quasi Episcopalem, 10.

An Legati a latere dignitas habeat successorem, & sic commissio ei facta sub nomine dignitatis transeat ad successorem, 11.

An idem de dignitate canonici dicendum sit, 12.

Quæ dignitas dicatur habere successorem, ut ad illum commissio transeat, 13.

An commissio facta dignitati nudi ministerii, vel arbitrii, transeat ad successorem, 14.

An commissio facta sub nomine dignitatis delegati, quando is est consanguineus, aut amicus delegantis, censeatur personalis, nec transeat ad successorem, 15.

An delegatio facta sub nomine proprio delegati, quando is est incognitus deleganti, censeatur realis, & transeat ad successorem, 16.

Post n. 16. *invenies alia summaria*.

1 Jam aggredimur modos, quibus dispensatio semel concessa legitime, extingui possit, ac evanescere. Quod variis modis posse contingere disputationes sequentes demonstrabunt. Prius autem agimus quando expiret morte, aut cessatione officii ipsius delegati, cui Pontifex committit ut cognita veritate precum dispenset, in præsenti dispur. & in seq. agemus quando expiret morte aut cessatione officii ipsiusmet delegantis. 1. supponendum est posse tripliciter committi potestatem delegatam alicui. 1. modo expresso solo nomine proprio delegati, ut Committimus Petro. 2. modo, expresso solo nomine dignitatis, ut Committimus Archiepiscop. Granatensi. 3. expresso utroque, ut Committimus Petro Archiepisc. Granatensi.

Secundo supponendum est, difficultatem hujus quæstionis 2
pendere ex cognitione quando commissio hujusmodi personalis sit, quando vero realis. Nam si personalis sit, id est, personæ cui delegatur specialiter concessa, cessabit ejus morte, eo quod subjectum cui inhærebat deficiat. Si autem realis sit, id est, dignitati vel officio concessa, cum dignitas illa, seu officium perpetua sint, non extinguetur morte delegati, sed transibit in personam succedentem in officio, aut dignitate. Quippe ea quatenus fungens eodem officio, seu dignitate, reputatur unum cum præcedenti. Quare totius hujus disputationis difficul-

ficultas eo spectat, ut ex conjecturis deducatur, quando censeatur commissio facta dignitati, seu officio, & sic realis sit, nec morte delegati extinguatur: quando autem soli personæ, & sic tanquam personalis extinguatur ejus morte.

3 Tertio supponendum est, ad conjectandum an commissio sit personalis, an potius realis, non principaliter spectandum esse an delegatio fiat expresso nomine delegati, an expressa ejus dignitate: sed hanc consideationem esse ultimum remedium, quando, nempe, ex subjecta materia, vel ex aliis verbis in dispensatione contentis deduci nequit. Quare prius sunt alia verba, & subjecta materia perpendenda, & quando illis perpensis res adhuc dubia manet, id dijudicandum est ex nominis proprii delegati, aut ejus dignitatis expressione. Quare si verba, vel materia subjecta indicent dispositionem esse personam, sic erit censendum etsi solius dignitatis delegati mentio fiat. Exemplum sit de verbis. Pontifex committit causam Episcopo Cordubensi solo dignitatis nomine expresso, declarans se illi committere ob peculiarem scientiæ, ac sanctitatis notitiam, quam de illo habet. Ex verbis constat non habitam esse dignitatis consideationem, sed personæ: ac proinde commissio erit personalis. Exemplum in materia subjecta: Fuit excommunicatus Episcopus Cordubensis solo dignitatis nomine expresso, manifestum est excommunicationem esse personalem, nec transire ad successorem, quod hoc petat materia excommunicationis subjecta, utpote, quæ ob solum personale delictum ferri potest. Ratio autem hujus est, quia una præsumptio tollit aliam, & major minorem, ut tradit *gl. fin. cap. Transmissæ, qui filii sint. legit.* & ex multis probat *Menoch. de præsumpt. l.1. q.30. n.1.* At fortior est præsumptio, quæ ex verbis ipsis peculiaribus commissionis, ac ex materia subjecta sumitur, utpote quæ peculiaris est, quam generalis delumpta ex proprii nominis dignitatis ve expressione: ergo illa potius attendenda est, ac huic præponderat. Atque ita docent *Jo. And. reg. Privilegium, de reg. jur. in 6. & ibi Anch. n.un. col.2. & cons.327. nu.5. 6. Abb. cons.93. nu.1. & 2. l.2. & c. Mandata, nu.1. de præsumpt. & c. Quoniam Abbas, n 8. de officio deleg.* ubi *Ant. num.21. Cardin. q.penult. Imola n.8. Decius in nova editione, num.23. Berosius a num.82. idem Decius l. More, n.53. & 54. ff. de jurisd. omn. judic. Covar. l.3. var. c.15. nu.2.* & latissime alios allegans, *cap. Requisisti, num.1. & seqq. de testam. Barbosa l. Quia tale 14. n.41. ff. soluto matr.*

4 Hinc inserit *Decius c. Quoniam Abbas, in nova edit. n.36. de offic. deleg.* præsumptionem respicientem personam præferri præsumptioni respicienti dignitatem: ac proinde utraque concurrenti judicandam esse dispositionem personalem in dubio. Et ratio est, quia præsumptio specialis generalem cessare facit, cum species generi deroget (ut ex multis probat *Menoc. de arbitr. l.2. casu 472. n.1. & de præsumpt. l.1. qu.29. n.7.*) At præsumptio respiciens personam magis specialis est (ut voluit *Bald. l. 1. q.3. ff. de officio Consulis,*) sed *Berosius eo c. Quoniam Abbas, n.85.* ex multis contra hoc insurgit, & tandem concludit forte esse verum quod ait *Decius*, quando præsumptiones illæ pares hinc inde essent, ac proinde res est in æquilibrio & dubia; tunc enim vincet in eo dubio præsumptio personalis, ac reputabitur dispositio personalis; & vere in hoc dubio loquitur *Decius*, idque verissimum credo.

5 His præmissis, quadruplex quæstio in hac disputatione discutienda est. 1. quando commissio sit solo nomine dignitatis, aut solo nomine personæ expresso, an censeatur personalis, ac proinde extinguatur delegati morte? 2. quid ubi utrumque nomen exprimitur? 3. quid quando delegatus non objit, sed officio, vel dignitate jam functus est? ultima est specialis in dispensationibus impedimentorum matr. commissis officiali diœcesano, quando expirent officiali illo vita, aut officio functo, nec transeant ad ejus successorem! ubi & alia differentur ad hoc pertinentia, & disputabitur de commissis in foro conscientiæ confessori.

6 Quæstio I. An quando delegato sit commissio, expresso nomine solo proprio, aut solo dignitatis officiive, censeatur personalis, & ita extinguatur morte personæ delegati: an potius realis, ac proinde ad successorem transeat? Qua in re quando ex conjecturis verborum, vel materiæ subjectæ certior regula deduci nequit, juxta dicta n. 3. sed omnibus penstatis est res dubia, hæc regula accipienda est: si solum personæ delegati nomen exprimatur, erit commissio personalis, ac morte delegati extinguetur, ut committo hoc Petro, vel Petrus sit mei testamenti executor; quando autem nomen dignitatis, vel officii solum exprimitur, commissio erit realis, & eo delegato mortuo transibit ad successorem in ea dignitate, vel officio, ut hoc committo Episcopo Cordubensi: vel sit testamenti executor Decanus Granatensis. Regula hæc probatur expresse ex *c. Quoniam Abb. de offic. deleg.* ibi: *Quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum commissio emanavit*, locorum, id est, dignitatum, quæ locis præsunt, ut explicat *ibi Abb. n.8.* ab omnibus receptus, & ideo ex eo textu colligunt hanc regulam universi DD. *cum Glossa ibi verb. Substitutum.* Et ratio est, quod in priori casu commissio fiat personæ, quæ moritur, at in posteriori dignitati, quæ nunquam moritur, sed est una & eadem in successore, *c. Si gratiosè, de rescriptis in 6.*

7 Aliquis hanc regulam temperant, ut tunc commissio realis facta sub nomine dignitatis transeat ad successorem, quando prior objit re non integra, sed negotio jam incepto: secus si re integra objerit. Dicuntur ex *c. Quoniam Abbas, de offic. deleg.* quod expresse videtur supponere delegationem dignitati factam transire ad successorem, si judici præmortuo fuerit rescriptum præsentatum, & sic res non sit integra, ibi: *Illi mandato nostro porrecto.* Quæ verba cum sint ablativi absoluti, efficiunt conditionem, *La. testatore, ff. de condit. & demonstr.* Sic sustinet *Angelus, §. Et hæc vero jubemus, vers. Attend. auth. Ut nulli judic.* Et *Berosius d. c. Quoniam Abbas, n.12. & 13.* ait in litteris ad lites, de quibus is textus agit, forte necessarium esse ut mortuo præsentatæ sint, secus in aliis. Et concludit id esse cogitandum. At dicendum est, nil referre in hoc eventu, an a priori habenti illam dignitatem res cœpta sit, an potius re non incepta; sed integra objerit; quia rem esse integram aut cœptam, nec commissio expiret, solum attenditur quando delegans objit: (ut late videbimus disp. seq.) non autem quando delegatus objit: quare dum est commissio personalis, semper extinguitur cum persona delegati: quando autem est realis; transit ad successorem, sive commissio cœpta sit a defuncto, sive res integra manserit; quia ratio utriusque partis, nimirum personam mori, non autem dignitatem, militat, sive res sit integra, sive non. Et ita docent *Innoc. d. c. Quoniam Abbas, n.unic. & ibi Hostiens. n.5. & 9. Jo. Andr. n.27. Ant. nu.20. Card. post. q.1. opposit. 1. Imola n.2. Decius in nova edit. n.14. notab.3. Henricus n.10. Anch. c. Licet undique, q.5. de offic. deleg. idem Host. summ. tit. De offic. deleg. §. Quibus modis finitur. num.10. vers. Quid si mortuus est. Arch. c. Si is cui, statim in princ. eod. t. in 6. & ibi Domin. nu.4. vers. In fine Glossæ, idem Decius l. More n.54. ff. de jurisd. omn. jud. & ibi Zasius fin. Bellapertica n.17. Menochius dicens sententiam Angeli ab omnibus rejici, de arbitr. l.1. q.68. n.22.* Neque obstat *d. c. Quoniam Abbas*, quia in illis verbis: *mandato nostro porrecto*, supplendum est, maxime, nec in hoc vim textus facit, sed in eo quod delegatio dignitati facta sit. Et ita explicant *Host. Jo. Andr. Ant. Card. ibi locis proxime allegatis.*

Secundo temperatur hæc regula ab aliquibus, ut intelligatur quando dignitas delegati est per se subsistens, & nomine proprio illi competit, secus si sit accessoria, & dependens ab alio, cui principaliter ea dignitas inest: ut contingit in vicario Episcopi, Atque proinde in hoc eventu nulla erit differentia, sive commissio fiat expresso nomine proprio Vicarii, sive nomine dignitatis: nam in utroque eventu commissio erit personalis nec transibit ad successorem in vicariatu, sed morte personæ peribit. Ratio est, quia dignitas seu officium Vicarii eo mortuo expirat, vel eo revocato ab Episcopo: nec dicitur tunc vacans, eo quod non habeat proprie successorem. Quippe Vicarius non habet jurisdictionem nomine proprio, sed jurisdictio sua est Episcopi faciens idem concistorium, *c.2. de consuet. in 6.* Et confirmatur, nam si vicariatus haberet successorem, diceretur vacare per mortem, & ea dignitas esset necessario perpetua in Ecclesia, & consequenter non penderet ab Episcopi voluntate Vicarium constituere: sed teneretur eum creare: alioquin elapso termino legitimo potestas creandi ad Papam devolveretur, *c.1. & toto t. de supp. neglig. prælat.* At Episc. non tenetur creare Vicarium, *c.1. & 2. de offic. Vicarii in 6.* & notatur *c. Perlectis, d.25. & ckm.2. de rescript.* Ergo Vicariatus dignitas non est perpetua, nec in ea succeditur, sed dicitur de novo assumi a Vicario denuo creato. Secundo probatur ex *l. Augustæ, junct. l. Quod Principi, ff. de legat.2.* ubi legatum Imperatori factum transit ad successorem, secus si legetur Imperatrici. Quod ille dignitatem nomine proprio habeat, & sic successorem. Hæc autem non fungatur dignitate nomine proprio, sed radiis Imperatoris coruscet, ac proinde careat succedente in dignitate. Et ideo hanc partem sustinent *Bart. d. l. Quod Principi, fine, & ibi Baldus fine, Idem Bartol. l. More, fine de jurisd. omn. jud. & ibi Albericus n.10. Decius n.54. Jason. n.65. Fulgosius n.25. Zasius fine, Bellapertica n.18. Jacobinus in 1. lectura nu.33. Cacialupus n.35. Angelus l. Et quia n.7. ff. eodem tit. Ant.* licet subobscure, *c. Quoniam Abbas n.25. de offic. deleg. & ibi Imola n.7. Dec. in nova edit. n.42. & ibi Felinus n.7. Berosius n.100. & 102. Anchar. c. Si gratiosè, num.6. vers. in 1. casu de rescript. in 6. & ibi Francus n.13. & c. Statutum, in principio n. 11. notab.5. eodem tit. & lib. & ibi Dominicus n.8. Imola Clement.2. n.12. de rescript. Fulgosius, l. Si quis Imperatorem, n.2. vers. Sed si sit factum, C. qui testam. fac. poss. Tabiena v. Delegare, q 12. n.13. Menochius de præsumpt. l.5. præsumpt. 121. nu.10. & de arbitar. lib.1. q.68. n. 24.*

Alii vero hanc limitationem rejiciunt, sustinentes commissionem factam Vicario sub nomine dignitatis esse realem, & ita eo mortuo transire ad successorem in vicariatu. Dicuntur, quod detur vere successor. Ut constat ex *c.1. de officio Vicar. in 6.* ubi vult textus substitutum in vicariatu repræsentare, & gerere vices illius, qui prius erat Vicarius. ibi: *Illos, qui vicem ipsius gerunt.* Ubi *gl. v. Ipsius*, ait, *officialis, vel officialatus.* Hujus sententiæ sunt *Paulus clem. Et si principalis, de rescript. Card. c. Quoniam Abbas, n.3. opposit. 11. & 12. de offic. delegat. Jac. de Puteo* dicens sic in Rota decium esse *dec.487. n.1. l.2. Flaminius de resign. benef. l.1. q.11. ad finem.*

Ceterum optime quæstionem hanc diluit *Abb. c. Quoniam Abbas, n.11. de offic. deleg.* dicens licet proprie, & stricte Vicarius Episcopi non habeat dignitatem, ut aperte probant rationes n.8. præpositæ, atque ita in rigore commissio illi facta sub nomine dignitatis non transiret ad successorem: at transire quidem. Quia eam esse Pontificis mentem, vereque ab ipso conferari Vicarii tribunal, dum hæc committit sub nomine Vicariatus, pra-

praxis ipsa satis attestatur. Idque suadet prudens ac suavis Ecclesiæ gubernatio. Cum enim commissiones dispensationum in foro externo concessarum dirigantur semper officiali diœcesano, si personales essent, passim perirent, magnæque expensæ in impetrandis aliis rescriptis fierent. Atque hoc pacto defensa opinio relata nu. præcedenti est vera. Et quamvis Doctores loquantur de Vicario Episcopi, idem intelligo de Vicariis capituli sede vacante, ac prælatorum habentium jurisdictionem quasi Episcopalem in sua diœcesi, ita ut nulli Episcopo subsint. Commissiones enim hujusmodi Vicariis directe sub nomine officii transibunt ad successorem. Cum militet eadem ratio, & praxis ipsa ita docet. Hos enim omnes capaces esse harum delegationum probabo n.34.

11 Hinc deducitur commissiones factas legato etiam a latere sub nomine dignitatis non transire ad successorem, sed cum persona legati extingui. Quia legati dignitas non est perpetua in Ecclesia, sed ad nutum & simplicem Pontificis voluntatem revocabilis. Atque ita finita legatione non dicitur vacare dignitas, nec in ea datur successor, sed semper de novo per Pontificem creatur. Et confirmatur ex *c. Præsenti de offic. legati in 6.* ubi deciditur reservationes & provisiones beneficiorum a legato factas, & nondum effectum sortitas, expirare finita legatione. Sentit ergo textus legationem extingui: nec transire ad successorem. Et ita docent *Ant. c. Quoniam Abbas, nu.23. de offic. delegat. & ibi Abbas n.11. Decius in nova edit. n.63. Felinus n.8. Berosius a nu.102. usque ad 105. Bartol. l. More, fin. ff. de jurisdict. omn. jud. Imola clement.2. nu.12. de rescript. Dominicus c. Statutum, in princ. n.8. de rescript. in 6. & ibi Francus n.11. notab.5. & c. Si gratiosè, nu.13. eodem tit. & lib. Tabiena v. Delegare, q.12. n.13.*

12 Secundo deducitur, quid dicendum sit de legatione facta canonico sub nomine dignitatis. Quidam sic distinguunt, si in illa Ecclesia non sit certus canonicorum numerus, non transit ad successorem. Quia canonicatus ille cum persona extinguitur, nec successorem habet; *cap. dilectio de preeb.* secus si sit certus numerus. Sic tenent aliqui, (ut refert *Abb. statim allegandus.*) & partim est ejusdem sententiæ *Ant. c. Quoniam Abb. nu.23. de offic. deleg.* tenet enim priorem partem: ac posteriorem indecisam relinquit. At verius est in neutro eventu canonicatum habere proprie successorem, sed extingui morte; & pari ratione commisionem illi factam sub nomine dignitatis. Et ita sustinent *Abb. d. c. Quoniam Abb. n.9. & ibi Berosius n.99. Felinus, n.5. & 6. Decius in nova edit. a 59. Imola clem.2. n.12. de reser. Domin. c. Statutum in princ. n.8. de rescript. in 6. & ibi Francus n.9.* Ceterum quamvis hoc in rigore verum sit, ex mente Pontificis bene transiret in alium, cui canonicatus ille collatus est, (ut n.10. diximus de Vicario Episcopi) & ita tenet *d. c. Quoniam Abb. n.9.*

13 Quod si roges quænam dignitas sit, quæ proprie successorem habet: atque ita commissio facta illi transeat ad successorem? Dic esse illam, quæ perpetuo exigitur in Ecclesia. Ut bene tradit *Domin. c. Statutum, in princ. de rescript. in 6. n.8.*

14 Tertio limitatur ab aliquibus regula, ut tunc commissio facta dignitati transeat ad successorem, quando commissio illa jurisdictionem aliquam continet, secus si sit nudum ministerium, seu nuda facti executio. Et ratio est, quia in jurisdictionis commissione attenditur præsumpta peritia ejus, qui eam dignitatem habet, quicumque ille sit. At in nudi ministerii commissione sola certæ personæ affectio, & considentia. Sic relato pro se Innocentio tradit *Bartolus l. More, in fin. ff. de jurisd. omn. jud. & ibi Jas. n.55. idem Bart. l. Qui iiberis, §. Hæc verba, n.4. de vulgari, & ibi Imola n.5. fin. & n.7. Jo. And. jud. & ibi Albericus n.10. Decius n.54. Jason. n.65. Fulgosius n.25. Zasius fine, Bellapertica n.18. Jacobinus in 1. lectura nu.33. Cacialupus n.35. Angelus l. Et quia n.7. ff. eodem tit. Ant.* licet subobscure, *c. Quoniam Abbas n.25. de offic. deleg. & ibi Imola n.7. Dec. in nova edit. n.42. & ibi Felinus n.7. Berosius n.100. & 102. Anchar. c. Si gratiosè, num.6. vers. in 1. casu de rescript. in 6. & ibi Francus n.13. & c. Statutum, in principio n. 11. notab.5. eodem tit. & lib. & ibi Dominicus n.8. Imola Clement.2. n.12. de rescript. Fulgosius, l. Si quis Imperatorem, n.2. vers. Sed si sit factum, C. qui testam. fac. poss. Tabiena v. Delegare, q 12. n.13. Menochius de præsumpt. l.5. præsumpt. 121. nu.10. & de arbitar. lib.1. q.68. n. 24.*

Alii vero hanc limitationem rejiciunt, sustinentes commissionem factam Vicario sub nomine dignitatis esse realem, & ita eo mortuo transire ad successorem in vicariatu. Dicuntur, quod detur vere successor. Ut constat ex *c.1. de officio Vicar. in 6.* ubi vult textus substitutum in vicariatu repræsentare, & gerere vices illius, qui prius erat Vicarius. ibi: *Illos, qui vicem ipsius gerunt.* Ubi *gl. v. Ipsius*, ait, *officialis, vel officialatus.* Hujus sententiæ sunt *Paulus clem. Et si principalis, de rescript. Card. c. Quoniam Abbas, n.3. opposit. 11. & 12. de offic. delegat. Jac. de Puteo* dicens sic in Rota decium esse *dec.487. n.1. l.2. Flaminius de resign. benef. l.1. q.11. ad finem.*

Ceterum optime quæstionem hanc diluit *Abb. c. Quoniam Abbas, n.11. de offic. deleg.* dicens licet proprie, & stricte Vicarius Episcopi non habeat dignitatem, ut aperte probant rationes n.8. præpositæ, atque ita in rigore commissio illi facta sub nomine dignitatis non transiret ad successorem: at transire quidem. Quia eam esse Pontificis mentem, vereque ab ipso conferari Vicarii tribunal, dum hæc committit sub nomine Vicariatus, *c. Statutum in prin. de rescript. in 6.* & dispensationes fori externi officiali diœcesano, existimo quamvis ii sint consanguinei delegantis, vel valde familiares, commissionem sub nomine dignitatis delegati factam esse realem, & transire ad successorem. Quia non censetur principaliter spectata persona, aut conjunctio cum illa, sed dignitas cui hæ causæ delegari debent. Nec *Glossa*, quam pro se refert *Jasona*, illi favet. Quippe loquitur in testamenti executione personæ in dignitate constitutæ commissa sub dignitatis nomine. Ut si testator nominet sui testamenti executorem Archiepiscopum Granatensem: cum enim per accidens omnino se habeat dignitas respectu executionis, eaque executio communiter demandari soleat amicis, ac sanguine junctis, jure optimo ex his deducetur urgentior præsumptio, potius personæ, quam dignitatis consideratione habita, ut commissio sit personalis, quam ex solius dignitatis expressione ad conjectandum oppositum. Nec favet etiam *c. Requisisti de testam.* Quia loquitur in legatis relictis personæ in dignitate constitutæ. Qua in re prævalet præsumptio deducta ex amicitia & consanguinitate, ut censeatur legatum factum contemplatione personæ præsumptioni deductæ ex solius dignitatis expressione, ut censeatur factum contemplatione dignitatis. Quod in legatis relinquendis consanguinitas & amicitia spectari soleant.

Ultimo limitatur a quibusdam *regul. Quoad eam partem*, ut legatio facta expresso solo delegati nomine censeatur personalis, & sic cum persona expiret, ut intelligatur, nisi delegatus sit cognitus deleganti, tunc enim censebitur commissio realis, & facta dignitati, si delegatus eam habeat. Per *l. penult. ff de rebus dubii.* Ita citatis Gulielmo & Angelo tenet *Jason l. More. n.56. lim.6. ff. de jurisd. omn. jud.* Sed omnino displicet hæc limitatio, nec is textus eam probat; Quia ibi (ut n.19. ponderabimus) expressus est sermo, quando sub nomine proprio & dignitatis simul fit commissio. Præterea quia si committens noluit personæ, sed dignitati, vel officio delegare; quorsum solius nominis proprii personæ mentionem fecit.

SUMMARIUM.

An commissio facta expresso nomine dignitatis, & personæ simul censeatur personalis, nec transeat ad successorem. Refertur triplex opinio, n.17. 18. 19.

Explicatur sentent. auctoris. Et l. Si servus communis, ff. de stip. serv. n.20.

Quid, si commissio sit facta, redderetur inutilis juxta alterum sensum, n.21.

Post n.21. invenies alia summaria.

QUæstio II. An commissio facta expressis simul nominibus dignitatis, & personæ delegati, censeatur personalis an realis? Quæ quæstio (ut diximus n.3.) procedit, ubi res est dubia, nec ex aliis conjecturis veritas elici potest. Quadruplex est opinio. I. sustinet censeri commissionem realem dignitati factam, & sic transire ad successorem. Quod dignitatis qualitas prævaleat, utpote, quæ potentior ac firmior est. Sic tenent *Gloss. l. Cum ita, 93. v. Hæredi, ff. de condit. & demonstr.* 17

II. Sent. tenet, spectandum esse utrum ex illis nominibus præcedat, & præcedente proprio, commissionem esse personale n, nec transire ad successorem. Ut si dicatur, Committimus Petro Archiepiscopo Granatensi. Secus si dignitatis nomen præcedat, ut Committimus Granatensi Archiepiscopo Petro, Dicitur, quia ubi res est dubia, deducitur ex litteræ ordine intentio concedentis *c. Mandato, in fin. de preeb. in 6. c. Si quis jusso, in princ. de eleeti. in 6. & l. Quoties, ff. de usuf.* Hanc sustinent *Bart. l. More. in fin. ff. de jurisd. omn. jud. & ibi Decius, n.55. Jason n.65. Curtius junior, fin. Zasius fin. Jacobinus in 1. lectura, n.33. Anchar. c. Si gratiosè, num.6. fin. de rescript. in 6. Imola l. Si servus communis, n.2. init. ff. de stipul. serv. & ibi Angelus statim in princ.* 18

III. Sent. sic distinguit. Aut committens disponensve notitiam habet personæ cui committit, & tunc est vera distinctio posita nu. præced. ut sit personalis, quando præcedit nomen proprium; realis vero, quando præcedit dignitatis nomen. Aut non habet notitiam personæ, & tunc censetur realis facta dignitati, utrumvis nomen præcedat. Probat ex *l. Si servus communis, ff. de stipulat. serv. junct. l. penult. ff. de rebus dubiis.* Quippe *d. l. Si servus communis*, constituit discrimen, quando servus communis stipulatur dominis suis, an præcedat nomen proprium an appellativum. Quod ideo est, quia in dubio quod alteri postponitur, censetur apponi non principaliter gratia disponendi, sed gratia demonstrandi. Quæ ratio potest etiam cauſui nostro adaptari. Quoniam ex quo 1. ponitur nomen proprium, deinde appellativum dignitatis, videtur nomen proprium principaliter considerari, & sic in eo videtur dispositio fundata: & appellativum postpositum videtur secundario apponi demonstrationis gratia: & ideo potius attenditur nomen præpositum. Quod magis attendi debeat dispositio, in qua mens disponentis principaliter consistit, quam demonstratio, argum. ex *l. Si quis in fundi vocabulo, & l. Stichum, ff. de legat. 1.* ubi ab eo quod gratia demonstrandi ponitur, non determinatur dispositio. Et ex *d. l. penult.* constat exprimentem nomen proprium, & officii, ac in alterutro errantem, videri in dubio consideratse appellativum officii, si cognoscebat personas, perinde ac si nomen proprium non esset adjectum. 19

Ergo

Ergo quando delegans minime novit delegatum, videtur in dubio semper delegare dignitati: quando autem novit, videtur illi delegare, cujus nomen proponit. Et ita tuentur *Bart. d. l. Si servus communis, n.un. Abb. cons.93. fin. l.2. & c.Mandata, n.1. de præsump. & c.Quoniam Abb. n.8. de offic. deleg.* Et dicit ubi *Card. q.penult.* Decius *in nova edit. n.47. & 48.* Et dicit communem *Berosus ibi, n.91.* & tenent etiam *Paulus d.l.pen. n.4. Fulgosius l.More, n.15. ff. de jurisd. omn. jud. & ibi Cacialupus n.38. Greg. Lop. l.47. fin. tom.18. p.3. Menoch. de arbitr. lib.1. q.68. n.16. & 17.*

20 Ultima sent. (cui adhæreo, licet tres positæ sint probabiles) ait semper hujusmodi commissionem esse personalem, utrumvis nomen præponatur, ac proinde non transire ad successores omnes. Dicitur 1. quia cum nomen dignitatis generale sit ad omnes ea fulgentes, nomen autem proprium sit speciale illius personæ nominatæ, illud per hoc exprimitur ac restringitur, ut non excedat personam nominatam. Nam quoties genus & species in unius persona concurrunt, genus expositum per aliquam speciem restringitur ad illam, *c.2. de rescrip. c.Statuto de crim. in 6.* Secundo, quia verba debent aliquid operari, *l.Si quando, ff. de legat.1.* quod adeo verum est, ut nec una syllaba in rescriptis Pontificis superflua esse debeat, (ut probavi l.3. disp. 46. nu.6.) At expressio nominis proprii superflua prorius esset, nisi operaretur commissionem esse personalem: Nil enim aliud operari valet. Cum alias persona sit certa per expressionem certæ dignitatis, *l.Nominatim, ff. de liber. & posth.* Tertio ex *c.Quoniam Abb. de offic. deleg.* ubi textus explicans quando commissio sit realis, ait: *Sub expressis nominibus locorum, & non personarum.* Quasi dicat, ubi nulla nominis personæ mentio facta est. Negatio enim quicquid post se invenit, destruit, ac magis negat, quam affirmatio ponat. Ut bene tradit *gl. c.Cum dilectas, v.A suspensis, de consuet.* Quarto, quia ex duplici eo nomine expresso, duplex conjectura ac præsumptio colligitur, sed a nomine proprio specialis, & a nomine dignitatis generalis (ut voluit *Bal. l.1. q.3. ff. de off. Consulis.*) At specialis generalem vicit (ut ex aliis probat *Menoc. de arb. l.2. casu 472. n.14. & de præsumpt. l.1. q.29. n.7.*) Præponderavit ergo præsumptio deducta ex nominis proprii expressione, ut commissio censeatur personalis. Nec obstat *l.Si servus communis*, in contrarium allegata. Quia ibi nomen appellativum, nempe, officii pistoris, tam ignotum erat, sicut nomen proprium. Et ideo non apparet utrum illorum ad alterius determinationem apponatur. Quod secus in nostro casu contingit. Et ideo hujus sent. videtur *gl. clem.2. v. Principalis, de rescript.* ubi dicit commissionem factam Vicario Episcopi esse personalem, quoties nomen proprium Vicarii exprimitur: & quamvis non explicet, etiamsi utrumque exprimatur, at clare videtur etiam in hoc casu loqui (ut testatur *Abb. d.c. Quoniam Abb. n.10.*) Et eam tenent *Jo. And. c. Statutum nu. 17. vers. Et ibi possit, de rescr. in 6. & ibi Archid. num.3. vers. Quid si causa. Alex. cons.175. Perspectis, col.penult. n.5. vol. 5. Imol. d.c.Quoniam Abb. n.8. fin. & ibi Bellam. qu.4. n. 13. Berosus nu.22.* dicens forte hanc sententiam esse in puncto juris veriorem, *Tancredus, & Brixiensis*, quos refert ac sequitur *Henric. ibi num.14. Flaminius de resign. benef. lib.1. quæst.11. num.12.*

21 Quamcumque tamen ex his sententiis amplectamur, ea limitanda est, nisi commissio seu dispositio secundum alterum intellectum redderetur omnino inutilis: tunc enim in dubio censeri debet spectatum id nomen, sive proprium, sive dignitatis, juxta quod dispositio est valida & utilis. Quare si talis est spectato dignitatis nomine, erit realis; si vero spectato personæ nomine, personalis. Exemplum hujus ponit *Abb. cap. Quoniam Abb. n.9. de offic. deleg.* si commissio fiat Petro Fernandez Canonico Granatensi, semper erit personalis, sive præponatur sive postponatur nomen proprium. Quia cum multi sint Canonici Granatenses; nisi dicamus nomen proprium, adjectum ad determinandam personam, corrueret commissio tanquam incerta. Ratio autem hujus limitationis est, quod in dubio ea semper interpretatio accipienda sit, ut actus valeat, *l.Quoties, ff. de rebus dubiis.* Sic docent *Bart. l.Si servus communis, n.un. & ibi Angelus statim in princ. ff. de stipul. serv. Abb. cons.93. fin. l.2. & d. cap. Quoniam Abb. num.8. & ibi Card qu.penult.* Decius *in nova edit. num.47.* Berosus *num.93. & 94.* ubi bene hoc limitat, nisi accepto hoc intellectu inferretur alteri injuste damnum. Potius enim sustinendum est, dispositionem esse inutilem, quam damnum injuste inferri.

SUMMARIUM.

An amissa dignitate, vel officio delegati, commissio personalis pereat, realis autem transeat ad successorem: sicut delegati morte, n.22.

Quid si delegatus non omnino deponatur, sed ad alteram transferatur, 23.

An amissio sit ante depositionem vel translationem res non erat integra, 24.

An commissio personalis cesset cessante personæ dignitate, quando res erat integra, 25.

Quid si in pœnam delicti privetur dignitate, 26.

Quid, si transtulisset ad statum incompatibilem, 27.

An ut capax quis sit commissionis a Papa factæ, satis sit eum solo tempore impetrationis rescripti esse in dignitate: vel sat sit tempore præsentationis rescripti: an potius utroque tempore desideretur, 28.

Post n.28. invenies summaria, quæ desiderantur.

QUæstio III. An sicut morte delegati extinguitur delegatio personalis: realis vero ad successorem transit, ita dicendum sit, quando superest adhuc delegatus, at officium sive dignitatem amittit? Hac in re ea est regula. Si commissio est personalis, utpote personæ facta, non expirat finita ejus dignitate, sed potest adhuc de illa cognoscere. Secus si sit realis, utpote dignitati facta: transit enim tunc ad successorem. Ratio est clarior, quam in priori casu, cum solius personæ habita sit consideratio, sequatur commissio personarum, instar privilegii personalis. At in posteriori cum sola dignitas spectata sit, illam sequitur, in quacumque persona inveniatur. Sed objicies spectari semper dignitatem. Non enim est capax delegationis a Sede Apostolica ejusve Legato factæ, nisi persona in dignitate constituta, *c.Statutum, in princ. de rescript. in 6.* Sed respondetur spectari dignitatem, ut delegatus ille sit capax commissionis acquirendæ: at ubi semel acquisivit, nil refert ad commissionis personalis retentionem, dignitatem cessasse (ut nu. 28. dicemus.) Quare hanc regulam tradunt *gl. clem 2. v. Principalis, de rescript. & ibi Imol. n.11. Abb. c.Quoniam Abbas n.8. fin. de offic. deleg. & ibi Felin. n.5. Berosus n.102. vers. Ex prædictis, Francus d.c.Statutum, in princ. n.10. & 11. & ibi Domin. n.8. Fulgos. l.More, nu.25. ff. de jurisd. omn. jud. Tabiena v.Delegare, q.12. n.13.*

23 Imo quamvis non deponatur dignitate legatus, sed ad aliam transferatur, cessat commissio realis illi facta, transitque ad successorem in priori illa dignitate. Quod cum commissio priori illi dignitati facta sit, ipsam semper sequitur. Sic tradunt *Innoc. c.Quoniam Abb. statim in princ. de offic. deleg. & ibi Ant. n.21. fin. Abb. n.8. Card. n.4. q.4. Bald. n.3. Henr. n.10. Bellamera n.1. oppos. l.1. v.Tertia est, Berosus n.110. Joan. And. cap. Quamvis, n.2. de offic. deleg. in 6. & ibi Anch. fin. Domin. n.6. Francus in fin. & c.Statutum, in princ. n.11. de rescrip. in 6. Cacialup. l. More, nu.36. ff. de jurisd. omn. jud.* Quod tamen intelligendum est, quando dignitas, ad quam delegatus ille transit, non continet primam, sed illam extinguit. Ut si commissio fiat Decano Cordubensi, & is fiat Episcopus Cordubensis, cessabit commissio, & transibit ad Decanum successorem. Secus si per adjectam qualitatem non confundatur prior dignitas. Ut de causa commissa Episcopo Cordubensi posset idem cognoscere, si is Episcopatus Cordubensis erigatur in Archiepiscopatum. Quia factus Archiepiscopus non desinit esse Episcopus ejusdem diœcesis. Sic *Abb. d. c.Quoniam Abb. n.11. & ibi Dec. in nova edit. n.67. Berosus n.110. Cacial. d.l.More n.36.*

24 Quod adeo verum est, ut quamvis res non sit integra, sed delegatus ceperit uti commissione dignitati facta, cessabit eo amittente dignitatem, aut ad aliam translato, & ad successorem transibit. Quia cum sit præcise dignitati concessa, pendet ab illa in conservatione. Sic reprobato *Monacho c. Statutum, n.8. 9. & 10. de rescript. in 6.* dicenti non admitti commissionem, tenent *Innoc. Jo. Andr. Card. Bald. Anchar. Domin. Francus, Henric. Bellam. Cacialupus, num. præced. allegati*, Sicut quamvis delegatus obiret re integra, transiret commissio dignitati facta ad successorem in dignitate, ut diximus num.7.

25 Triplicitet autem solet limitari, ut commissio personalis non expiret cessante officio aut dignitate personæ. Primo, dummodo res non sit integra, sed ante cessationem ceperit uti jurisdictione, Sic *Francus c.Statutum, in princ. nu.8. de rescript. in 6.* Sed jure optimo *idemmet Franc. c.Quamvis, in fin. de offic. deleg. in 6.* ait nil referre, sive ceperit uti, sive non. Quia ut nu.7. dicebamus in simili) rem esse integram aut inceptam, ne delegatio expiret, solum spectatur quando delegans objit, aut dignitatem amisit: non autem quando delegatus ipse. Quod etiam constabit ex dicendis n. 28. ubi probabitur sufficere dignitatem habitam esse tempore impetrationis rescripti, ne commissio personalis pereat, etsi tempore præsentationis rescripti dignitas ea cessarit. Cum tamen tunc res sit integra.

Secundo limitatur, nisi persona delegati sit in delicti pœnam privata officio vel dignitate. Per textum *l.Cassius & seq. ff. de senator.* ubi remotus a Senatu ob propriam turpitudinem, judicare nequit, secus si ob aliam causam. Sic contra *Monachum, c. Statutum, n.7. de rescript. in 6.* tradunt *Bald. l.Generaliter, n.7. C. de Episcop. & Cler. Decius c.Quoniam Abb. n.58. de off. delegat. & ibi Felinus n.5. Berosus n.95.*

27 Tertio limitatur, nisi delegatus ille deposita dignitate transfisset ad statum incompatibilem, ita, ut factus esset jurisdictionis illius Ecclesiasticæ incapax. Sic *Decius, Felin. Berosus, n.præc. allег. Bald. l.Prædia 6. n.1. C. de fideic. Francus c.Statutum, in princ. in 8. de rescript. in 6. & ibi Archid. n.3. vers. Quid si causa, Anch. n.5. q.4. Domin. num.8. vers. 2. casu. Tabiena v.Delegare, q.12. n.13. Flamin. l.1. de resignat. benef. q.11. n.15.*

28 Ex his deducitur intellectus ad *c.Statutum, in princ. de rescrip. in 6. & Gl. ibi v.Canonicus, in fin.* ubi cum textus decidat non posse causas a Sede Apostolica aut ejus legato promanantes committi, nisi personis dignitate aliqua constitutis, ut canonicis, vel aliis: ait *Gloss.* sufficere canonicatum, aliamve dignitatem obtineri tempore impetrationis illius rescripti Pontificii, quamvis tempore præsentationis ejus cessarit jam dignitas illa. Secus si tempore impetrationis non aderat dignitas, non enim sufficeret eam adesse postea tempore præsentationis. Quam doctrinam dicit *Abb. c.Quamam Abb. n.8. fin. de offic. deleg.* posse difficile sustineri. Quia si ea commissio realis sit, extinguetur cessante officio, ac transibit ad successorem. Et *n.9.* varios excogitat modos defendendi illam Glossæ doctrinam. Sed ea doctrina verissima est, atque probatur ex eo textu, ibi: *Canonici committantur.* Quippe qualitas juncta verbo vel participio est intelligenda secundum verbi vel participii tempus, *l.Titius, ff. de testament. milit.* Ergo satis est, & requiritur adesse dignitatem legato tempore commissionis sibi factæ. 2. Quia capacitas in ipso commissionis initio spectanda est, *c.Si eo tempore, de rescr. in 6. 3.* quia per commissionem personalem factam illi, qui tempore impetrationis rescripti, dignitate præditus erat, commissio quoad actum delegandi fuit consummata. Non ergo vitiandus est, licet ad eum ea eum res veniat, nempe cessationem dignitatis, a quo incipere nequit commissio. Et ideo eam Glossæ doctrinam amplectuntur, *Monachus eo c.Statutum, in princ. n.7. Jo. Andr. num.17. & 18. Archid. n.3. vers. quid si causa, Anchar. n.5. q.3. Domin. n.8. Franc. n.8. Speculat. de judice deleg. fin. nu.22. vers. quia si causa, Abb. cons.93. n.2. lib.2. Bald. l.Generaliter n.7. C. de Episc. & cler. & l.Prædia 6. nu.4. vers. Extra quæro, C. de fideicom. Paulus cons.327. dub.3. Decius d. c.quoniam Abb. in nova edit. n.56. & ibi Berosus n.95. Felin. n.5. Tabiena v. Delegare q.12. n.19. Zacchello q.practic. q.656. n.5. & seqq. Flamin. de resign. benef. l.1. q.11. n.6. & seqq.* & refert *n.14.* in consulsis Congregationem Cardinalium: Et quamvis Gl. de solis canonicis loquatur, id gratia solius exempli in canonicis explicitæ. Ejus enim doctrina generalis est, in quibuvis dignitate præditis. Quia textus ille de omnibus tractat. Et rationes allatæ procedunt æque in omnibus. Et ita docent *Felinus, Tabiena, Flamin. n.6. allег. prox.* Verum doctrina hæc Glossæ intelligitur, quando commissio fuit personalis. Nam quando est realis, nec requiritur, nec sufficit, tempore impetrationis rescripti adesse dignitatem. Cum enim dignitatem ipsam sequatur, nec personæ speciali commissa sit, sufficit quando præsentatur rescriptum, personam in ea esse dignitate. Quippe eadem dignitas erat, quamvis in alia persona existens, tempore impetrationis. Et amplius requiritur ut toto delegationis tempore perseveret in ea dignitate. Nam quocumque temporis puncto cessat dignitas, transit commissio ad successorem in dignitate (ut n.22. diximus.) Et ita quando commissio est personalis, intelliguntur eam Glossæ doctrinam *Jo. Andr. Archid. Dominic. Felin. Tabiena proxime allег. Anchar. c.quamvis in fin. de offic. deleg. in 6. & ibi Francus in fine.*

SUMMARIUM.

Officialis Episcopi dicitur Vicarius generalis Episcopi, n.29.

An dispensatio commissa Officiali, vel Vicario Episcopi, possit per Episcopum eo officiali remoto, expediri, 30.

An possit per eumdem officialem, postquam cessavit ejus officium, vel factus est Episcopus ejusdem diœcesis, 31.

An Vicarius capituli possit esse delegatus Pontificis, ejusve legati, ac exequi dispensationes commissas officiali diœcesano, 32.

Quid, si dispensatio illa committeretur officiali, aut Vicario Episcopi, an posset illam expedire capitulum Sede vacante, aut ejus Vicarius, 33.

An Vicarii habentes jurisdictionem quasi Episcopalem sint capaces hanum delegationum, & possint exequi dispensationem officiali commissam, 34.

Quid de Vicario Episcopi confirmati, at nondum consecrati, 35.

Si duo sint officiales, intelligitur delegatio facta officiali, de principaliori, 36.

Quid, si essent duo æque principales? & explicatur c.Ad hæc, & c.unicæ, de rescript. n.37.

An præsentato rescripto dispensationis alteri officiali possit alter adiri, vel pars supersedere, donec alter sic ecdat: vel dividi ut alter dispenset, alter vero legitimet prolem, 38.

An si officialis pronunciaverit rescriptum subreptitium, & se deceptum postea invenerit, possit iterum de illo cognoscere, & quid si pronunciavit validum, & initum sit virtute illius matrimonium, aut nondum sit initum, & videat se deceptum, 39.

An altero Confessario expediturò dispensationem in foro conscientiæ, vel si ille declaravit eam esse subreptitium, possit alius adiri: ac posse quidam eligi, ut dispenset, alius vero ut prolem legitimet, numer.40. & ibi, an possit ipsemet, ubi pronunciavit, erratam dispensationem, mutare sententiam.

An si Episcopus alium Vicarium constituat, vel ipse Vicarius alium substituat, possit substitutus exequi commissionem Vicario factam, 41.

An si Episcopus Vicarium removeat, ne de dispensatione commissa cognoscat, possit adhuc cognoscere: & an possit Episcopus alium creare, ut illam expediat, 42.

An Vicarius possit delegare has dispensationes sibi commissas, vel receptionem testium: & per quem fieri debeat, quando in alia diœcesi facienda est, 43.

QUæstio ultima. An commissiones dispensandi in impedimentis matr. vel aliis rebus, quæ solent committi officiali diœcesano, transeant eo revocato ad successorem: vel ab 29
ipsomet expediri possint? I. Concluno. Nomine officialis diœcesani intelligitur Vicarius generalis Episcopi illius diœcesis. Constat ex *Clem.2. de rescr. juncta gl. verb. Officialis*, textus enim ait, *Et si principalis officialis Episcopi*, Et gl. ait, eumdem officialem dici Vicarium, *c.c.1. & 2. de offic. Vicarii, in 6.* textus eumdem vocat officialem, & statim *c.fin.* dicitur disjunctive: *Officialis, aut Vicarius generalis Episcopi.* Idque experientia ipsa testatur.

Hinc deducitur commissiones factas officiali, vel Vicario 30
non posse expediri per Episcopum etiam officiali remoto. Nam cum aperta differentia sit inter Episcopum, & eius officialem: ut constat ex *c.Venerabilius, in prin. de sent. excom. in 6.* ibi: *Archiepiscopo, vel ejus officiali*, & commissio soli officiali fiat, nullatenus potest ab Episcopum pertinere. Idem quia esti idem sit Episcopi, & ejus Vicarii tribunal, id tamen solum habet verum in causis, quæ jure Ordinario competunt Vicario. Atque ideo hoc tenent *Federic. cons.130. Factum tale est, ad finem Card. clem.2. q.9. n.10. de rescript. & ibi Imol. n.14. Paulus ibi, & Anchar. n.5. Bonifac. n.52. Decius c.Quoniam Abb. in nova edit. n.62. de off. deleg. & ibi Bellamera q.11. n.14. Franc. c. Dilecti, ef 2. q.5. de appel. & c.Statutum, in princ. n.11. notab.6. de rescript. in 6. Bertachinus tr. de Episcopo, p.7. l.4. q.4. Rebuff. praxi benef. tit. de forma Vicariatus, n.161. Navar. l.1. cons. in 2. edit. de offic. deleg. cons.5. n.1.*

Secundo deducitur decisio ejus quæstionis, an si idem Vica- 31
rius creetur Episcopus ejusdem diœcesis, vel alias desinat esse Vicarius, possit de causa illa sibi commissa tempore Vicariatus cognoscere, vel dispensationem illam exequi? Quia in re sic distinguendum est. Si commissio fiat in forma ordinaria, (ut fieri solet) dicendo officiali talis diœcesis, v.g. officiali Granatensi; non poterit postquam desiit esse Vicarius, licet factus sit Episcopus ejus diœcesis, commissionem prosequi. Quia cum commissio sit realis, utpote facta dignitati Vicarii, tique ad alteram dignitatem, quæ priorem non continet, translatus sit, vel alias desierit esse Vicarius, cessat commissio respecta suæ personæ (ut dixi nu.22. & 24.) Et transit ad successorem in Vicariatu, juxta veriorem sententiam, quam nu.10. amplexi sumus. Si vero commissio fuit personalis poterit de ea cognoscere cessante Vicariatu. Quia satis fuisse tempore commissionis factæ per Pontificem adesse Vicariatum, diximus n. 28. Et ita tutum hoc in propriis terminis Vicarii Episcopi docent *Anch. clem.2. n.4. de rescript. & ibi Imola nu.11.* Et posse prosequi finito Vicariatu, quando commissio fuit personalis, docet etiam *Abb. ea clem.2. in princ. & ibi Card. q. 6. n.7. Felin. c.Quoniam Abb. n.5. vers. Ubi requiritur, de off. deleg.* Limitat *Card.* nisi is transierit ad statum incompatibilem. Quod & nos diximus n.27. Et similiter limita, nisi ob delictum privatus Vicariatu sit. Ut dixi n.26. Insuper limitat *Francus* si ante dimissionem officii cœperat jurisdictione uti. Sed n.25. hoc rejecimus.

Tertio infertur, Vicarium capituli sede vacante posse eam 32
dispensationem exequi: & de quavis simili delegatione cognoscere; Quia forma committendi non est officiali Episcopi, sed officiali, expresso nomine diœcesis, v.g. Cordubensi. At dum sedes est vacans, officialis illius est officialis illius diœcesis. Adde 4 quia quamvis *clem. de rescript.* decidatur generales Episcoporum Vicarios esse capaces delegationis factæ a Papa, vel ejus legato, quæ solis in dignitate constitutis committi potest, *c. Statutum, in prin. de rescript. in 6.* At idem dicendum est de vicariis capituli sede vacante. Quia sunt Vicarii jurisdictionis Episcopalis; ut docet *Glos. ea clem.2. c.Episcopi, & ibi Card. q.12. n.15. Anch. nu.1. in fin. Imola n.20. Everard. in suis topicis, loco a vi subrogationis, an.2.* Quamvis minus bene id neget *Bonifac. ea clem.2. n.33.*

Sed major difficultas est, si in clausula commissionis dicere- 33
tur, officiali Episcopi, an posset de ea cognoscere officialis capituli sede vacante? *Felin. c.Eam te, n.17. vers. Faciunt hæc de rescript.* negat. Quod hæc potestas delegata sit. Nec Vicarius capituli est vere Vicarius Episcopi. Item quia capitulum ipsum nequit de ea causa cognoscere. Ergo a fortiori nec ejus Vicarius. Nemo enim potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. *Reg. Nemo potest plus 79. de reg. juris in 6.* Ceterum quamvis verissimum sit, non posse capitulum ipsum sede vacante: at credo posse Vicarium ejus generalem. Ducor, quod capitulum non succedat Vicario Episcopi, sed ipsimet Episcopo. At Vicarius capituli succedit in dignitate Vicarii Episcopi. Adde Vicarium hunc posse dici Vicarium Episcopi; ut tradit *Card. n.præc. allegatus.* Et ita cum in *clem.2. de rescr.* dicatur Vicarius Episcoporum esse capaces harum commissionum, tradunt DD. n.præc. relati idem de Vicariis capituli: quasi vere sint Vicarii Episcopi, idest, habentis jurisdictionem Episcopalem. Nec obstat arg. deductum ex *regula, Nemo potest*: Quia idemmet probat, nec Vicarium Episcopi posse de ea causa cognoscere, cum nequeat Episcopus, qui illum constituit. Quare dicendum est id arg. optime concludere, si capitulum ipsum aut Episcopus transferrent jurisdictionem cognoscendi de causa delegata in Vicarium. At cum non transiert, sed constituit Vicarium: & eo ipso quod sic constitutus est Vicarius, potest eam commissionem exequi virtute rescripti Apostolici Vicario committentis.

Quarto